NAZARIS

NAZARIS

NAZARIS

CARMINA

ALOISI TRIPEPI

ROMÆ
TYPIS BENEDICTI GUERRA ET IOANNIS MIRRI
AN. M. DCCC. LXXII

Ἄνω ἔχε ἐν τοῖς πόνοις τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα

S. Ephraem.

Quaeque hominum coelo et superùm Regina potitur
Illa meus calor est, ignis et illa meus.

Henrici Nozzi

Aux rayons du printemps s'éveille la nature,
Des souffles embaumés voyagent dans les airs,
Le sillon reverdit, et toute créature
A retrouvé la vie et l'exhale en concerts.
L'amour aussi s'éveille au coeur de tes fidèles,
Vierge que Dieu fit reine au séjour immortel;
Le printemps, qui ramène au toit les hirondelles,
Le printemps me ramène au pied de ton autel.

A. Rainguet

Spirto, che di spirare in me si degna,
Nè so dove se 'n vada, onde derivi,
Maria mostrommi un giorno e disse: Scrivi,
Scrivi di Lei, che sovra ogn'altra è degna.

Ercolani

DOMINICO . TACCONE . GALLVCCIO

IVVENI . SVAVISSIMO

VETERE . ET . INLVSTRI . GENERE

RELIGIONIS . IVSTITIAE . QVE . CVLTORI

INGENI . LAVDE

ET . STVDIIS . ARTIVM . OPTIMARVM

FLORENTI

QVI

EXIMIA . IN . DEIPARAM . VIRGINEM . PIETATE

IMMOTA . IN . ROMANOS . PONTIFICES . FIDE

BRVTTIORVM . GLORIAM

IMPIGRE . ADAVGET

ALOISIVS . TRIPEPIVS

HOS . FLOSCVLOS

NAZARENIS . IN . HORTIS . NVPER . DECERPTOS

OFFERT

GRATI . ANIMI . OBSERVANTIAE . QVE . CAVSSA

MONITUM AD LECTOREM

Nemo me in crimen vocet, quod carminibus in Deiparae Virginis honorem exaratis a Nazaride nomen facere decernam - Carminum pleraque in pontificiis sodalium litt. coetibus recitavi.

DAVIDIS

IN COETU VETERUM PATRUM

DE NATAE VIRGINIS GLORIA

VATICINIUM

Dieu soit béni pour cet éclat sans ombre
Qu'il répandit sur ton front calme et pur,
Astre charmant, qui de notre nuit sombre
Chasses l'horreur et fais blanchir l'azur !

A. Rainguet

Quâ pictos inter colles et amoena vireta
Nazara felici consurgit condita clivo
Jessaeae atque ortum spectat vultumque puellae,
Regis fatidici sapiens sese umbra sub auras
Attollit, pulsansque lyram, discrimina sacrae

Protinus haec resono modulatur gutture vocis:
O formosa Infans, genus alto a sanguine Iudae,
Virgineo terris iungis quae foedere coelum,
Candidior luna, stellisque micantior albis
Prodis dum primum dulces in luminis oras,
Plectra move facilis, resera mihi labra canenti
Ut tibi venturae delibem laudis honores,
Carminibusque tuae referam praeconia vitae.
Scilicet exsiguae tecto sub paupere sedis
Nasceris, at moesti columen spesque aurea saecli
Et longe ante omnes fortunatissima coetus
Tolle animos; parili tecum contendere laude
Isacides unquam, priscum decus, heroinae
Haud ausint; Rector nam te magis omnibus unam
Diligit omnipotens; antiquae opprobria matris
Omine tu reparas fausto, sine labe veneni
Unica tartarei renitens, quod primitus orbem
Nascentem scelere infecit, mortalibus aegris

Exoptata adstas vicinae nuntia pacis,
Unica Terrigenum fereris tutela decusque;
Teque polus nascente modis tellusque resultat
Concentu Aligerum Dominam venerata secundo,
Arbiter atque Orci discit, discuntque cohortes
Lucifugae pedibus tandem dare colla tenellis
Solvere et indigna moestas formidine gentes.
Horrida stridentis veluti post praelia nimbi,
Vestos qui volvit spumosa ad littora fluctus
Eruit avulsasque imis radicibus ornos
Praecipitesque trahit quercus, fractasque myricas,
Post densos subito ventis brumalibus imbres,
Tristem post hyemem, rauco post fulgura coelo
Luctisonis elisa minis nemorumque fragores,
Iris iucundo nitidas curvamine nubes
Inficit et casto suffunditur ora rubore
Aurataeque orbi pandit spectacula formae;
Tum sol per tenues clarum iubar exerit auras

Illucetque dies, placido se gaudia fundunt
Aethere, et adspectu ridet natura sereno.
Franges tu vires erebi coetusque furentes,
Pelles et stygias feralia monstra sub umbras,
Castum namque colens florem, mirabile dictu!
Concipies nullasque vices experta pudoris,
Numinis et soboles summoque aequaeva parenti
Humanam e diris prolem ereptura tenebris
Intactae edetur foecunda e Virginis alvo
Intactae et niveum matris pendebit ad uber.
Ò formosa Infans, rubeo cui labra pyropo
Ardent, quaeque labris suspiria prima venustis
Flebilibus ducis vagitibus intermixta,
Tu quondam concussa gravi, non victa dolore,
Flagrantes animo versabis saucia curas,
Udaque in effusos absumens lumina fletus,
Promant qui luctum tristisque incendia mentis,
Vicinaque trahens geminatas morte querelas

Sanguineo fixum cernes in robore natum.
At simul edomita ductos de morte triumphos
Et populos pretio divini sanguinis emptos
Progeniemque scies rediviva in luce nitentem.
Qnin ipsa astriferos demum subvecta per axes
Bissenis astris lauroque innexa capillos
Sub pedibus lunamque teres et nubila et euros
Et magno rutilum gressu calcabis olympum;
Flammarumque globos subiecta in tartara vibrans
Incedes superas inter regina choreas
Coelicolumque manu sceptrum inconcussa tenebis
Sanctaque candenti velant quae tempora vitta
Paciferisque comas ramis, mille agmina circum
Reginae optabunt dilecta capessere iussa.
Gentes teque omnes populique in vota vocabunt
« Terrarum oceanus quantum vastissimus ambit,
Atque tibi passim species pulcherrima mundi,
Quam nascens late radiis maioribus auges,

Applaudet Matri et felicem nomine dicet,
Mulcebitque novis raptos concentibus axes;
Ac summi tacitos Nati servantia nutus
Pura tibi laetas submittent sidera flammas
Ocyus et ducent, coelo resonante, choreas.
At tu sublimi clarum decus addita regno,
Haud solio ex altò natos glebasque relictas
Spernes; terrigenum longos miserata labores,
Insidias quamvis crebras male perditus orci
Misceat ignivomi princeps, tu, Diva, tuorum
Defendes numero adscriptos, tu robore sanctas
Firmabis valido mentes coetusque pudicos,
Quos saevas inter caedes, interque procellas
Taenarii nunquam perdet vis dira colubri,
Dum tibi flagranti cordis famulentur amore
Inque pio Matris tutamine cura recumbat. —
Parthenidos rosea cingens cunabula fronde
Tales dulcisono concentus ore ciebat

Longaevos inter vates patresque verendos,
Qui dulci clarus cithara fundaeque peritus
Gethaeis letum intentans stridente Goliam
Immanem saxo stravit foedumque cadaver
Sanguine concreta quondam exporrexit arena;
Aulasque ex parvo celsas evectus ovili
Rex nituit, quo non pietate insignior alter
Alter nec regum validis praestantior armis.
Festivis circum sertis et veste nitentes
Laetitia studiisque patres plausuque fremebant,
Quum late fausto Jessides omine psaltes
Magno fatidicas effundens pectore voces
Mitia iucundis sociaret carmina nervis.
Sioniae interea motabant culmina cedri,
Carminis atque potens resonis e montibus Echo,
« O formosa infans » pulsis referebat in antris,
Atque infra palmas et coniferas cyparissos
« O formosa infans » iterabant murmure colles.

IN PIUM IX PONT. MAX.

QUI

DEI NUMINE AFFLATUS

MARIAM SANCTAM

LABIS AB ORIGINE NESCIAM SANXIT HABERI

Ecco un Pio; sovra il libro de' fati
Volge il guardo, distende la mano;
Del gran vero disserra l'arcano
E il suggello gl'imprime di fè.

A. Pelleneo

Qui puram sacro perfusus lumine mentem
Exercet summi iura vicesque Dei

Iam Vaticani sublimi e vertice collis
Edixit palmam, candida Virgo, tuam;

Atque tuis anguem pedibus subiecit avernum
Laudibus accumulans prisca trophaea novis.

Sed tu stelliferae sanctis de sedibus arcis
Vota precesque bonis auribus excipies,

Quo mox ominibus veniens felicibus hora
Ante Pii spectet corda scelesta pedes.

DEIPARA MARIA

PROPE SEPULCRUM IESU CHRISTI

La voix de la tourterelle
A gémi dans le rocher;
Celui dont l'œil est sur elle
Nous a dit: Ouvrez votre aile,
Esprits, et l'allez trouver.

A. Rainguet

Quae saevos inter fremitus et iurgia gentis
Sanguine perfusum crines artusque venustos
Et celso vidit distentum in robore Natum,
Ac populo commixta fero tristissima Mater
Haud formoso animam morientis legit ab ore
Condere neç fidâ potuit pallentia dextrâ
Lumina, nunc clavos repetit vepresque crucemque

Questibus et dirum longis tremuloque ululatu
Vulnus alit secum, gelidoque affusa sepulcro
Multa gemit; cordis lethali absumitur aestu,
Turbinę pressa iacet saevisque exercita curis,
Eripit et tumulo frigentibus oscula labris.
Quin larga ex oculis lacrimarum flumina fundens,
Ulnis dum charam lassis amplectitur urnam,
Exoptat dulci pariter succumbere morti.
Illi feralis per amica silentia noctis
Dilectae sobolis defixus pectore vultus
Haeret, maiestasque animo divusque recursat
Frontis honos, niveusque color, lucesque pudicae
Et flavi crines et blandi gratia labri,
Undis quae in mediis pendentia saxa moveret.
Ullam nec membris rediens dat cura quietem,
Totam sed penitus mentem dolor improbus haurit
Atque fodit matris subiens praecordia cuspis,
Sollicitasque ciet voces fletusque tepentes.

Haud secus annosa queritur philomela sub orno
Ilice vel gaudet nigra scenaque virenti
Flebilibusque implens silvas concentibus urget.
Hinc Libani cedri, moerenti hinc murmure rupes
Hermoniae, et diris se tollens Golgotha saxis,
Hinc viduae circum platani, densaeque cupressi,
Bethlemiae et longe sedes et robora silvae
Nubiferae, terraque procul samaritide clivi,
Et latices sacri et ripis fugitivus amoenis
Jordanes, longis deflent et luctibus antra
Virgineisque suas iungunt impulsa querelas!
Sed nox coeruleos quae iam ferrugine tractus
Turbinibus nigrans piceis piceoque vapore
Texerat, atque atras densarat muta tenebras,
Incipit extemplo nebulis vanescere pulsis,
Innumerisque statim facibus, mirabile dictu!
Et stellis totum invertit rutilantibus axem;
Excussaque polo tetrae caliginis umbra,

Adtonitae effulsit matri, natique sepulcrum
Aurea lux nitido signavit limite, et alte,
Laetitias nuper partas referentibus euris,
Tum blandis fidium numeris laetoque tumultu
Intonuere plagae sonitumque dedere supernae.
Sedatis posuere minis certamina nimbi,
Et montes pelagique sinus tractusque profundi
Aetheris, assultansque iugis et vallibus orbis
Conceptum ob Christi lethum posuere furorem.
Lenes dumque modos duplicat resonabilis Echo,
Coelituum clara longum hic auditus ab arce
Nazaridis castas concentus fertur ad aures:
Desine iam tumulum trepidis urgere querelis,
Diva Parens, acresque animo seclude dolores!
Qui toto tepidos volvebat corpore rivos
Sanguinis, immanique rigens squalore lacertos
In partem laudis gentes regnique vocavit,
Supplicia et veteris patris pro crimine solvens

Obstructa aetherae patefecit limina sedis,
Tertia ubi primum niteat lux omine fausto,
Funereas propria solvet virtute tenebras
Et vitae e tumulo confestim surget ad auras
Perdet et insignis pavidam victoria mortem.
Ipse triumphali redimitus tempora serto
Humanum eripiet stygiis genus omne catenis,
Terrigenis pulcri calles reserabit olympi,
Tartareumque ducem solio exturbabit iniquo
Opprimet atque orci coetus, et vincula turmis
Iniiciet validus numquam solvenda protervis;
Dumque illi cultus crescet studiumque clientum,
Servator domitum reddet sua iura per orbem.
Tunc silvae concussae oris collesque supini,
Gentes atque omnes Christi praeconia discent,
Pigris quot nebulis, calidisque urgentur arenis,
Quotque Tagum Gangemque bibunt, Maurusia Calpe
Quos cernit, Lybicove Abylae sub sole columnae,

Submissusque orbis sacram procumbet ad urnam,
Condidit exanimis pridem quae corpora Iesu;
Divaque conspicuis defendet Gloria templis,
Quod numquam referet saeclorum damna sepulcrum.
Longinquis venient crebro de sedibus actae
Bellantes olim sacrata per arma cohortes
Et Christi extollent felicia nomine signa;
Atque peregrinum donis venerabitur agmen
Exuviasque urnae templis affiget opimas;
Fulcraque sublimi surgent adamante corusca
Et niveae sacris adolescent ignibus arae,
Quas inter tumuli moles operosa nitebit,
Innumeraeque faces circum, viridesque smaragdi
Flammas iactabunt, rubeique colore pyropi
Saphiro et stabunt, eoo et saxa monili.
At rapidos posthac cursus iterantibus annis,
Hirsutae veluti spisso se verbere caudae
Excutit, arrectusque iubas cervice comantes

Incendit fulvus geticos leo murmure saltus,
Fortia sustollet vesano cornua rictu
Et coniuratis fidens crudelius hastis
Bella movens, terraeque vocans erebique phalanges
In Christum sanctamque fidem stulta arma parabit
Ingentesque aget impietas effraena furores;
Ac probris instincta novis, ausisque nefandis
Tunc iterum Christo tumulum fideique, superbas
Immanis furias animi expletura, recludet.
Innocuus sed enim semper furor ille residet
Laetior et pulsa veniet victoria clade,
Iucunda passim rosei vice veris et austri
Labitur ut glacies redivivo saucia sole,
Cum nulla effusis bacchatur turbida nimbis
Tempestas, nubes saevus nec densat orion.
Sparsos intorquens oculos tunc sanguine et igni,
Flammigerum ducit crinem ceu nocte cometes,
Anguis taenaria subito se condet abysso.

Omnia sidereis carpit quae pectora flammis,
Tunc pietas diva referet virtute triumphos
Aeternasque novo ducet certamine lauros;
Tunc intacta fides, tunc pax dulcissima rerum
Praemia laeta sui populis protendet amicis,
Et belli portas claudens compagibus arctis
Plaudenti rursus terrae aurea saecula condet.

DEIPARA VIRGO MARIA

PRIMIGENIAE LABIS EXSORS

PIO IX. PONT. MAX.

IN FIDEI VEL MORUM DOCTRINA

INERRANTI

MUNUS REPENDIT.

A quel serto, che rischiara
Di Maria la fronte intatta,
La più bella, la più cara
Delle gemme Pio donò;
E del popolo credente
Al desir la Diva arrise,
E dell'astro più lucente
La ghirlanda a Pio fregiò.

P. Pelleneo

Nexuit aeternas in serta nitentia palmas,
Imposuitque tibi, Partheni, serta Pius,

Quum lapsis terrae properans succurrere rebus
Sternere et errorum protinus imperium,

Quam colere a primis suevit feliciter annis
Omnibus atque aliis sedulus antetulit,

Te dira immunem primaevi a labe pudoris
Iudicii scito vindicis asseruit.

At iussi plenâ supremi voce Tonantis
Quum promunt saeclis verba verenda Patres,

Et Vaticani certant sub culmine templi
Immunem erroris dicere Pontificem,

Praemia tunc Illi ponis, dulcissima Virgo,
Et dignum merito munus amica refers;

Illi tunc castis praecingis tempora lauris
Imponisque sacris coelica serta comis.

IN OBITU
ANGELAE GAZZINO
FOEMINAE LECTISSIMAE INCOMPARABILIS
QUAE
VIRGINIS MATRIS CULTUI
VACAVIT UT CUMMAXIME. (*)

Que la mort vienne donc, car mon âme est ravie
De voir briser ses fers;
Si l'on vit loin de toi, que faire de la vie,
Reine de l'univers ?
Pour te voir dans l'éclat dont ton Fils t'environne,
Sainte Mère de Dieu,
Je donnerais mes jours, le monde, une couronne,
Et ce serait trop peu !

A. Rainguet

Dum nitidum tranas fulgentibus aera pennis
Astriferique tenes, Angela, templa poli,

Non equidem miror. Casto tu nomine florens,
  Moribus intactis ingenioque pio,

Alituumque genus referens virtute supernum,
  Clarebas mirae fama pudicitiae;

Et primis aequi custos fidissima ab annis
  Ardebas toto pectore Nazaridem.

Quocirca, fragilis posita compagine formae,
  Tecta artus niveis vestibus aetherios,

Ac stellis radiata comas, subvecta per auras,
  Signat ceu rutilas flammea luna vias,

Debueras coeli placido considere regno
  Et te divinis inserere agminibus;

Parthenidemque penes manifesta in luce nitentem
   Praemia promeritis digna referre tuis,

Aeternosque inter coetus sanctosque recessus
   Nectere sidereis serta gerenda comis;

Nam quibus angelicus vernat sub pectore candor
   Haud'est conveniens terra scelesta locus.

(*) Confer suavissimorum carminum libellum: Rime alla cara Memoria di Angela Gazzino dal Consorte dolentissimo raccolte - Genova - 1871 -

KAROLUS ALOISIUS MORICHINIUS
PATER CARDINALIS
MAGNA DEI MATRE OPITULANTE
ECCLESIAE BONONIENSI
PONTIFEX DATUR (*)

Come il balsamo all'egra ferita,
Come il lampo di placido raggio,
Come il soffio di zefiro al maggio,
Come al cespo l'umore vital,
Degli umani ne'petti affraliti
Di Maria la pietade discende,
Tempra l'ansie, la gioia raccende,
L'alma addolcia di speme immortal.

A. Pelleneo

Vota valent; supero facilis de limine Mater,
Coelo quam figens oculos, quam brachia tendens

Felsina; grata Deo tellus opifexque virorum,
In crebras effusa preces planctusque vocabat,
Dictis virgineas ardentibus adplicat aures,
Felicique suam solatur numine gentem.
Nam quid ego resona memorem testudine adorsus,
Ut vitam in tenebris traheret curisque molestam
Centum quae turres sudum urbs educit in axem,
Et noctes insomnis agens, gemitusque profundens
Mitia flexanimis oneraret sidera verbis,
Ducens et questus, viduati turturis instar,
Longinquum frustra secum deserta doleret,
Qui virtute potens magnis inclaruit orsis,
Pontificem, labrisque polum, manibusque supinis
Sollicitans, pavido singultus rumperet ore,
Moestaque continuis turgerent lumina guttis?
Ascendunt sed enim celeres super ardua luctus,
Stelligeras subeuntque domos trepidantibus alis.
Audiit e solio fletus vocesque precantum,

Aurea bissenis redimit quae tempora stellis,
Intemerata Parens, cuius tutamine laeta
Felsina concordis studiis pulcherrima pacis
Claris perdiscit virtutem extendere factis.
Dulcibus atque genas radiis suffusa nitentes
Supplicis in morem, Natumque in vota lacessens
Praebuit Aligerum motis spectacula turmis,
Et compressa pias ad eburnea pectora palmas
In charos fudit coelestia munera coetus.
Nam vota excipiens, toti qui praesidet orbi,
Annuit Omnipotens. Maioribus aemulus astris
Et nitidum rutilo corpus velatus amictu
Civibus e sanctis aeternae mittitur arcis
Nuncius; extemplo liquida se librat in aura,
Et coelum findens, pennis et nubila tranans
Desilit in terras, zephyris atque ocyor agros
Praepetibus latios lambit, ripisque propinquat;
Diffundensque comas augustam adventat in urbem

Quae gentes frenat veri pulcrique magistra,
Seque infert nubulâ septus, nec cernitur ulli,
Per medios, radiisque Pium candentibus implet.
Tum Pastor, Christo qui sceptra vicaria gestat
Parthenidique novo praecinxit sidere crines,
Contigit atque prius felicia tempora Petri,
Qui mundum Antistes mira ditione coercet
Aligerum et charûs Dominae victorque volentes
Per populos dat iura, viasque recludit Olympi,
Insueti quamvis moestam sub carceris umbram
Impia vincla ferat crudeli turbine pressus,
Longos indoluit luctus, longosque labores
Felsineique gregis sortem miseratus acerbam
Iam prope depositis celerat succurrere rebus.
Aetherioque alacrem perfusus lumine mentem,
Auspiciis demum superis et numine dextro,
Purpurei o longe decus immortale Senatus,
Cingit apostolico tibi candida pallia more,

Karole, dilectiqne levat discrimina ovilis.
Illustrem mittitque virum, qui pascua fidos
Ad bona ferre agnos novit, blandisque capellis
Gramina subducit diris infecta venenis;
Qui Christum vultu spirans, et numine plenus,
Qui templi columen, iusti defensor et aequi
Hostilis spernit sceleris viresque minasque.
Fama volat tutisque implet rumoribus arva;
Hinc iure insigni nuper pastore superba,
Quem dudum iugi voluit quaesita labore
Exemptum e vulgi turbis splendescere virtus,
Confestim surgens studiorum mater et altrix
Longo se solvit trepidoque Bononia luctu.
Adsiduis vultum lacrimis atque ora madescens,
Qui mox ardentes iactabat pectore curas
Iam tepidis parcit guttis, fremituque secundo
Nazaridı populus laudes gratesque rependens
Virginis excultâ submisso poplite in aede

Festivos duplicat cantus et, pignus amoris
Ingentis, cumulat largis altaria donis,
Concelebratque Senem, lapsum qui temperat orbem
Et vaticanae leges de sedibus aulae
Dictat terrigenis, uni cui summa potestas
Claudere, et astriferos nutu reserare recessus,
Imperiumque soli concessum, atraeque latebrae;
Quique sacram triplici cinctus diademate frontem
Divinum clavum, et sanctas moderatur habenas,
Nescius et falli, fidei morumque magister
Subiectos late populos regesque gubernat.
Illum etenim laqueique tenent, arctaeque catenae
Numine solvendae fausto, faustisque triumphis,
At populi excepit gemitus fletusque labantis,
Qui laetas tollit, facto velut agmine, voces,
Puraque dum cunctas pertentant gaudia mentes
Dumque triumphales decorantur floribus arcus,
Contendit castos animi depromere sensus;

Ingerit atque viis decerptos undique flores
Sertaque promerito calathis dat laurea plenis,
Cui datur ipsa Dei populis praecepta referre,
Pastori; rerum post tot discrimina, saevi
Post varios belli casus, sua vota capessens
Sedibus egreditur, fususque in compita fervet.
Affari coram et venienti occurrere certant,
Praesulis in vultu fixis obtutibus omnes
Haerent, ora juvat frontemque oculosque tueri,
Oscula delibant ostro, dextraeque colendae
Plaudunt et Patri, plausus geminantibus auris.
Undique io valles et concava saxa loquuntur
Permulsa in numerum, totusque a sedibus altis
Attonat, et merito passim clamore resultat
Aër, stellantis respondet regia coeli.
Nam quis dulcisoni tantus modulamine plectri
Praesulis egregias sustollat ad aethera laudes;
Contigit ingenium cui mirum, et copia fandi,

Sanctum purpureos peperit cui robur honores
Et sollers virtus et rebus cauta gerendis,
Indita cui pietas praestanti munere puram
Diffundit lucem celsus quâ panditur axis?
Quis referat, gaudens crebro ut persolvere grates
Caelicolis puro cordis famuletur amore,
Utque Illi recti numquam de tramite flectens
Atque aequi vernet studio mens nescia culpae,
Augeat et fido validas Constantia vires,
Eximioque adsit Sapientia praesule digna,
Atque capax tantae citius sibi sumere fervor
Molis onus, magnae crescat sub numine Divae,
Quam colit ingenti iampridem percitus igne?
Frendens nec satanae rabies, nec callidus astus
Illum, nec diri valeat terrere tyranni
Vultus, nec lethi facies, dum pabula praebet,
Et firmum triplici pectus circumdatus aere
Commissi insidias gregis a praesepibus arcet,

Impastosque lupos furesque dolore minaces,
Quos validove pedi delet spectabilis ictu
Notave disiectos confestim exturbat ad antra?
Pastor ut incedat, quo non praestantior alter,
Eximiis dotes animi dum moribus almas
Sedulus exornet, castique modestia labri
Tranquillos dulci pariat virtute triumphos?
Quis numeris addat, latio quam nobilis ostro
Cunctis profuerit, circum quam lumina pandens
Mitia consilii, nitido ceu sidus olympo,
Emicet, atque animos dulci ad meliora vocatos
Adloquio foveat, tacitos et leniat aestus
Aegras et pellat curas, coetusque profanos
Excussis ducat tenebris virtutis ad aedem?
Quam sacras iuvenum pietatem incendat ad artes,
Et sophiae exacuat puros accedere fontes?
Illum quam vultu Superum Rex spectet amico,
Sive velit themidos sanctos lustrare recessus,

Impiger et fidei recte defensor avitae
Romuleas radiis terras conspergat, et acre
Ingenium formae vincat clementis honore;
Magnos sive viros inter protendere nomen,
Et prisco scripsisse stylo, numerisque soluto
Claraque solertis sectans vestigia Tulli
Ornare eloquio certet benefacta parentum;
Sive lyra fretus blandâ fidibusque canoris
Coelituum laudes doctis affingere musis
Andaeamque tubam divini inflare Maronis,
Et chordas digitis venusini tangere vatis,
Invictique pias aequare imitamine curas
Ambrosii, qui Castaliis labra proluit undis,
Insolita vultus quum majestate verendus
Arderet divam chartis effundere lucem,
Mulcere et placidis turgentia pectora dictis,
Laetitiam aut spirans oculis et fronte serenam
Canos sidereo vestiret flore capillos,

Angelicosque modos referens sonitusque beatos
Posset concentu rigidas inflectere cautes?
Heu dira late tellus circumdata nocte
Undique funestis bellantum personat armis,
Et nimium longis nondum satiata rapinis
Exultat, scissâque fremit discordia pallâ,
Gliscit et orbe furor, flagrant subitique tumultus
Et tetra exitium cunctis dant omina praesens,
Perque lacus, pelagique sinus, collesque decoros
Et gelidas longe valles, et amoena vireta
Vastos scuta vomunt ignes simul aethere toto,
Terribilesque cient crebra in certamina turmas.
Undique telorum colluctans ingruit horror,
Intremit, et mestis coelum tonat omne ruinis.
Corda pavor sternit, fidam molitaque iniquo
Christiadum gentem Caedes prosternere ferro
Excita et infernis, visu miserabile, regnis
Anguicomos agitat crines, irasque facesque

Subiicit, ac strictus cervicibus imminet ensis.
Sanguineisque rotat manibus mors pallida falcem
Congerit et praedas, flammataque lumina torquens,
Europaeque optans urbes exurere flammis.
Irruit, abstrusumque oleum mox elicit altis
E venis silicis passimque incendia miscet.
Haud secus increpitans lapidosae grandinis imber
Tecta ferit, stridensque nigris aquilone procella
In sylvis, disrupta effusi turbinis ira,
Decutit arboreos foetus, hominumque labores
Diluit ingeminans, et culta novalia vastat.
Heu nimbos inter tempestatesque sonantes,
Invida dum tenebris obducunt nubila coelum,
Miscetur pelagus, turgentque horrentia longe
Caerula, et immani tremulos conamine fluctus
Incutiunt ventorum animae, Petrique phaselum,
Qua sol lustrat aquas, vexatum turbine coeco
In varias adigunt syrtes, scopulosque tenaces.

Heu rerum obscoenae facies, insanaque monstra
Quae labes rixaeque iuvant ausus que nefandi,
Imi sulphureis erupta e faucibus Orci
Attonitas inter gentes contagia spargunt,
Lethiferasque ardent errorum effundere pestes.
Tetris capta dolis, noxis collapsa iuventus
Exigit actutum laudatos perfida mores;
Invidiae stimulis etenim ferus anguis iniquae
Tactus et attollens immani cornua fastu
Arduus insultat superis, superisque profatur,
Rectoremque poli lymphata mente lacessit,
Funestosque premens stygio sub corde furores
Ambiit implexos ignitis crinibus angues,
Flammas et coecae praecordia ad intima turmae
Iniicit, utque polo ferali luce cometes,
Omnigenas saevis mentes terroribus angit.
Nostris hinc campis gladiorum messis inhorrens,
Bellica et excidium late tormenta minantur,

Diras et strages, stratasque cadavere ripas
Cernimus, et putres pinguescere sanguine glebas
Ac nigro trepidi iactamur vortice rerum
Incerti quo tanta ferant, ubi sistere detur.
Hinc patulos umbris nox contegit horrida campos
Terrigenum, fugêre pudor pietasque fidesque,
In quorum subiere locum crimenque nefasque,
Iustitia et terras contempsit caede madentes,
Debacchansque scelus crepitantes concutit hastas
Turpis et impietas centum saturata trophaeis
Iurgia depromit, nubesque solumque fatigat,
Currumpensque omnes impune licentia coetus,
Machina ceu mundi nutet compage soluta,
Tartareumque movet bellum, viresque ministrat,
Adgrediturque sacras excidere funditus arces
Insidias lethumque parans; circum atra malorum
Ingruit illuvies, nivibus velut auctus oberrat,
Et spumosus aquis quercus convellit, et atro

Gurgite se tollens populatos obruit agros,
Concussas superatque oras, rupesque supinas
Abripit, et timidas pecudes male turbidus amnis.
Undisonos inter fremitus, tumidosque per hostes,
Mittite, Felsinei cives, sed corde timorem.
Diva Parens, vestris custos quae moenibus adstat,
Quam voluere focis proavi templisque potiri,
Lumine vos placido cernit, solatia praebet,
Nec sinit immeritos ultra perferre dolores.
Antiquâque subit munus iam sede receptus
Murice collucens Pastor, quem certa salutis
Spes nostrae Virgo ducit, quem mascula virtus,
Et sophiae celestis amor, rectique cupido
Hac sede exornant dignum, quem culmine ab alto
Numinis interpres, magnum decus Urbis et Orbis,
Qui gemina triplicem iungit cum clave coronam,
Sollicitis misit populis. Lucere serenam
Hic monet auroram gentes, hic praelia Christi

Instaurat, vincitque novis sua tempora sertis,
Pontificesque refert priscos, qui lumina tantae
Urbis fulseruut donis caelestibus aucti;
Utque polo exoriens detergit nubila splendor,
Erigit haud aliter solvitque pavore iacentes,
Subiectosque greges optata pace beabit.
Agnos dum firmat teneros, dum sacra tuetur
Aris pro castis pro relligione colenda
Qui numquam exiliumque pati, laqueosque refugit
Et saepe iratum impavidus non palluit orcum;
Dumque animos doctae rapiet dulcedine linguae,
Commissosqoe reget populos moresque reponet,
Percutietque pio dum corda micantia sensu,
Felsineosque Deum colles resonare docebit,
Et ducet charas ad pabula dia capellas
Praesul et apricas tantus moderabitur oras,
(Vera loquor certus venturi nuncius aevi,
Felsina,) nulla queant discrimina laedere coetus,

Candida iucundis redeant et gaudia coeptis.
Ut campus molli renovatus flavet arista,
Insignis facies urbis cultusque nitebit,
Et miros cupidis dabitur spectare triumphos.
Coniurata sacro Christum detrudere regno
Quae contecta dolis acies periuria spargit,
Sanctas atque domos delens eversaque templa
Bellum Felsineis infandum moenibus infert,
Intactamque fidem patriis extrudit ab arvis,
Cogeturque scelus stygias remeare latebras.
Et phlegetontaea tristes formidine lucos,
Ac procul avertet demens discordia taedas.
Post diros veluti casus, dirasque procellas,
Saevos post sonitus, post saeva pericula rerum
Sol defert veniens iucundo munere lucem,
Atras taenariae pellat caliginis umbras,
Relligioque comas ramis praecingat olivae,
Mores componat, sacratas excitet aras

Et bona pestiferos afflantem faucibus aestus
Tergaque vertentem maculoso squamea flexu
Anguem proculcet centum vinctura catenis,
Error quo tandem mendax flammantibus antris
Occumbat, domitis consurgat laetior aetas
Hostibus, et rutilent primaevum tempora in aurum.
Auspice quâ sanctus succrescet pectoris ardor
Coetibus et penitus divinum afflabit honorem,
Infandi saecli sollers avertere fraudes
Protendet meritum crudeli ex hoste trophaeum,
Aetheriâ tenebras circum virtute resolvens
Proruet exitio pietatis iniqua serentes,
Ac puro laetas perfundet nectare terras
Iustitia, et veteri complectens omnia nexu
Felices artes nutrix secura fovebit.
Quin dono cunctas sociabit divite gentes,
Almaque dilectis inducet saecula turmis;
Paxque comes referet, referet sua praemia candor,

Ac pudor, ac pietas concordi foedere iuncti,
Blanda sibi figent iucundis oscula labris.
Quae tunc tranquillis surget gens aurea terris
Istis et late victrix dominabitur oris,
Gestiat et passim citharis, et carmina dicat,
Intendatque pium per mutua gaudia murmur.
Munera prisca novis numerans, concentibus auras
Impleat, et roseas cingat sibi quisque corollas,
Flammas concipiensque novas plaudatque bonaque
Det bona verba die; feriat citus aethera clamor,
Pastoremque sonis magnum, patremque salutet,
Cuius virtutum laudes nomenque manebunt
Dum sol caeruleos percurrat lucidus axes,
Et vario radient errantia sidera lapsu.
Tunc ego romulei rursus modulamine plectri
Felsinei laudes Patris complectar, et altam
Annorum mecum seriem palmasque futuras
Ordiar, et pariter digitis et gutture cantus;

Innumerosque addens aevi venientis honores,
Ingentes populis referam plaudentibus orsus.
Quin latiae atque italae praestans sermone Camoenae
Et magni graios faciens thuscosque lepores
Augeat ipse suam numeroso carmine famam
Praesul, sidereâ declaret gaudia fronte,
Praesul sidereis meditetur gaudia chordis;
Florea pierii conscendat culmina montis,
Et laude immensum rursus contingat Olympum.
Ac nervos tangat, crispet vibrante sonoram
Pollice mellitus citharam, vocisque susurro
Impulsas mirâ advertat dulcedine mentes.
Tunc longe reboent dilecto murmure colles,
Murmure Felsineos circum mulcente recessus,
Murmure, quod clarâ per saecula voce propaget,
Congeminentque modos pueri innuptaeque puellae,
Albaque serta ferant, oculisque ad sidera versis
Pontifici e coelo felicia cuncta precentur.

Excipiensque modos tunc totus personet axis,
Laetitiaque fremant rupes, auraeque sequaces
Dulci certatim reddant discrimine plausus
Speluncisque cavis erret, silvisque resultans
Montibus e cunctis iteret resonabilis Echo:
Vota valent; supero facilis de limine Mater,
Coelo quam figens oculos, quam brachia tendens
Felsina, grata Deo tellus opifexque virorum,
In crebras effusa preces gemitusque vocabat,
Dictis virgineas ardentibus âdplicat aures,
Feliciqne suam solatur numine gentem.

(*) Carmen editum in libro, quo viri latinis, italicis graecisque insignes litteris Karoli Morichinii Patris Cardinalis, Pontificis Bononiensium renunciati laudes prosequi, praeclaraque eius gesta efferre sunt aggressi.

VIRGO NAZARENA (*)

Salut, Rose vermeille
Des jardins du Seigneur !
A. Rainguet

Recte sanctorum te clara a stirpe parentum
Finibus in notis Nazara, Virgo, tulit;

Nazara nam gentes inter syriasque loquelas
Flores terra colens dicitur omnigenos,

Atque hominum superûmque pio gratissima regi
Tu rosa sidereis surgis odora comis.

(*) Nazara italice redditur: Città de' fiori.

DE

MARIA SANCTA DOMINA NOSTRA

SIDERIBUS RECEPTA

IN CUIUS TUTELA

CARDETUM EST (*)

Al fior più bello del giardin stellato
Son sacri di Cardeto il colle e il prato.
A. Pelleneo

Non dumis Cardetum horret spinisque malignis
Sed violis vernat purpureisque rosis,

Luteolaque halat calthâ, casiaque thymoque
Totaque pubenti tegmine ridet humus;

Hos etenim placidis campos adspectat ocellis
E campis facilis Nazaris astriferis,

At, qua Nazaridis se mitia lumina vertant,
Durae vel cautes fronde virente nitent.

(*) Cardeti, quod est oppidum in Bruttiis perantiquum et amoenissimum, ortus est epigrammatis auctor.

DEIPARAE NOMEN

Oh ! laissez-moi dans mon humble langage
Vous répéter que je l'aime et m'engage
A la servir.

A. Rainguct

Qui dulces pascit volucres, spirabilis aer,
Et totus radiis pingitur undivagis,

Finditur innumeris refugum quod piscibus aequor,
Quae capit agrestes horrida silva feras,

Qui late coeli rutilant semptemplicis orbes,
Qui croceo mollis gramine vernat ager,

Angelicusque chorus, nitidisque volatile vulgus
  Sedibus, astriferi laeta per arva poli,

Tempus in omne pio geminant modulamine plausus
  Certatimque sonant nomina Nazaridis;

Ergo quis doleat, tantae si nomina matris
  Romuleâ reddam tempus in omne lyrâ?

IN

VIRGINEM ALMAM DEI PARENTEM

MUNDI DOMINAM

Parlò l'Eterno; a Te, Madre e Regina,
Umìl la terra, e umìle il ciel s'inchina.
A. Pelleneo

Cur freta diffundit, magnum cur Numen in orbem
Tellurem glomerans, littora littoribus

Et ripas iungit ripis, ac stagna lacusque
Addit, et innumeris pinguia prata rosis?

Surgere cur montes, virides subsidere valles,
Silvarumque iubet culmina fronde tegi,

Extendi et montes, zephyros spirare serenos,
Astraque convexis pulcra micare plagis?

Intactae, aeterno quam sedulus arsit amore,
Ipse Deus Matri regna locumque parat.

IN FUNERE
PETRI TAGGIASCO E SCHOLIS PIIS
VIRI LATINAE ET VERNACULAE POESEOS PERITISSIMI
EXIMII
MARIANAE PIETATIS
CULTORIS

Mais une voix me dit: Ta mère te reclame
Dans les cieux éclatants!

A. Rainguet

Tune, sacer vates, blandi discrimine plectri
Qui modo romuleae mulcebas littora terrae
Numinis et Matrem resonans superasque cohortes
Inclita perpetuâ vernabas tempora lauro,
Nostris ex oculis dulci amplexuque recedens

Arduus in nitidas evadis protinus auras?
Perdidit oh! quantum tecum decus ausonis ora!
Fervent a longo dum circum compita luctu,
Funera quanta videt Tibris, quantosque poesis
Nocte dolens, lacrimasque iterans fugientibus astris
Pectore agit gemitus! ut planctus planctibus ultro
Questibus et iungunt questus, moerentque sodales
Implent et tremulo septenos murmure colles!
Nondum etenim rosea sparsus lanugine malas
Virtutis callem carpsisti ad grandia natum
Fragranti incidenda cedro, nitidisque columnis
Te prodens, castaque alti spe illectus Olympi
Vivida iucundis aequabas praelia sertis.
Sidera luna velut, pinus velut herbida vincit
Germina, sic multos vincebas carmine vates
Seu latiis velles numeris seu ludere etruscis,
Paucorum et numero insertus, quos suspicit orbis,
Gauderes notos inter considere cycnos.

Iure igitur tepidis suffusi lumina guttis
Sollicitasque imo promentes corde querelas
Non te, pierii nuper solatia coetus,
Tristia sed nostrae flemus dispendia gentis.
Omnipotens aegram iussit te linquere vitam;
Linquere te iussit nostrae fastidia terrae
Atque dedit casus lasso finire dolentes
Usque datura parem meritis mercedis honorem
Et te stellantes ad sedes Virgo vocavit,
Arsisti a teneris sancte quam pectore toto.
Hinc meliora tibi sunt vati carmina curae;
Iam terris ereptus enim longisque tenebris,
Corporeae subito posita compagine formae,
Ales ceu raptim rutilae volat obvia nubi
Ac montes supra, campos supraque liquentes
Se librat, expansis placidum secat aera pennis,
Coelesti et flammae fixis obtutibus haeret,
Siderei laetus scandis super ardua regni,

Puraque sublimi traducens tempora Sole,
Hauris aeternum mansurae gaudia pacis;
Almaque iucundis socians modulamina nervis
Numen, quod tellus, metuit quod Tartarus ingens,
Et Mariam celebras manifesta in luce nitentem
Astris quae flavos laurisque evincta capillos
Per stratas radiante vias plateasque pyropo
Nobilis immensi regina incedit Olympi
Aligerumque implet mira dulcedine turmas.
At iam coelicolûm fulgenti in sede receptus,
In nos si demum meliori incenderis igne,
Perpetuo donec, qui nos heic iunxerat olim,
Felices inter cives camposque beatos
Foedere iungat honos, radiis hilaresque coronet,
Ne pigeat ripis oculos pietate serenos
Figere romuleis. Veteri stimulatus amore
Moerentesque animos relevans et vulnus adactum
Crebros hos gemitus, hoc lamentabile carmen,

Quod tibi squalentem socii meditamur ad urnam,
O diri exilii coecis educte periclis,
Gratus habe, tutusque polo fidum adspice coetum
Dum tibi supremas instaurat munere laudes,
Inque preces Numen sanctas et vota lacesse
Tempora quo spernens, sortisque ignarus iniqui
Sub veneranda Petri, geminaeque insignia clavis
Tranquillos pergat studiorum accedere fontes.

MARIAE VIRGINI

FLORES

MAIO INEUNTE

Oh se dato mi fosse insiem con voi,
Immacolati fior, vicino all'ara
Starmi alla luce de'begli occhi suoi!

A. Pelleneo

Maius adest; pueri nectunt, nectuntque puellae
Quae stent ante tuos florea serta pedes;

O utinam croceis fierem quoque flosculus hortis,
Ut starem ante pedes, candida Virgo, tuos!

VIRGINI SANCTAE

FILIUM CRUCI AFFIXUM

INSPICIENTI

Le jardin, puis les fouets, les épines, la croix;
Vaste douleur, supplice infâme,
Dont chaque coup retentit dans ton âme,
En tombant sur le Roi des rois!

A. Rainguet

Quid celso fixum spectas in stipite Natum
Membraque sanguineis squalida vulneribus?

In te verte oculos; clavos, spinasque crucemque
Pingi materno pectore iussit Amor.

IN

MARIAE SANCTAE DOMINAE NOSTRAE

IMAGINEM

LILIA ET SPINAS GERENTEM (*)

Serba i fiori per te, che pura sei,
Ma porgi delle spine il serto a' rei.

A. Pelleneo

Cur rigido gestas, Virgo, de sente coronam,
Castis quam velant alba ligustra comis?

Integra habe flores, vepres mihi porrige; puram
Lilia sola decent, spinea serta reum.

(*) Epigrammatis sententia desumpta est ex quodam in S. Aloisium epigrammate, quod inter selecta carmina Cl. V.

Vincentii Fugae e Societate Iesu, edita iam Romae an. 1822 typis Iosephi Salviucci, nuperrime legi atque heic appono:

Signa pudicitiae, quavis quam sorde carentem
Servasti, tibi habe lilia, Loisides.

Ast, qui tam multis foedavi sordibus illam,
Loisides, pigeat ne dare flagra mihi.

AMILDUS PELLENEUS (*)

COELESTI REGINAE

LILIA VERE NOVO ORTA

Le pur éclat du lis, les parfums de la rose,
N'ont point de la vertu l'attrait délicieux;
Fais la germer en nous, qu'en nous ta main l'arrose
Et la fasse fleurir sous les regards des cieux!

A. Rainguet

Lilia, quae valles inter collesque virentes
Ambrosio pandunt roscida odore sinum,

Laetus vere novo carpam, nectamque corollas,
Cingam flaventes ut tibi, Virgo, comas.

Aethereae at celsis flores de sedibus aulae,
Diva, meos placido lumine conspiciens,

Lilia, quae puro gignit sub pectore virtus,
Fido tu vati candidiora dabis.

(*) **Arcadicum nomen Aloisii Tripepii auctoris huius libri.**

POETAE
CASTO
DEIPARAE VIRGINIS
AMORE FLAGRANTIS
VOTUM

Oh! se io fossi quell'aura, che vola
Sopra i campi gli odori a predar!

A. Pelleneo

O ego iucundae fierem si spiritus aurae,
Quae leni croceos flamine mulcet agros,

Et tremulas inter ludit dulcissima frondes,
Silvarum vibrat germina, lambit aquas!

Omnigenos florum praedarer semper odores,
Afflaremque aras, candida Virgo, tuas.

AUGUSTISSIMAE VIRGINI

CARMINA

VERE REDEUNTE

Mets à ton front si pur ma guirlande fleurie,
Du jardin de mon cœur accepte l'humble don.

A. Rainguet

Si te, ver roseis postquam caput extulit arvis,
Arcanis referunt mollia prata modis,

Et vivi referunt latices, plantaeque feraces,
Datque tuum resono gutture nomen avis,

Nonne etiam citharaque tuas fidibusque canoris,
Vere novo, laudes me celebrare decet ?

MARIAE SANCTAE

MIGRATIO

E di Maria la morte opra è di amore!

A. Pelleneo

Uritur ut solis perculsus flosculus igne,
Qui vix luteolos protulerat calathos.

Sic languet Virgo vitaque exsolvitur, unus
Castis quam flammis Numinis ussit amor.

QUIBUS FLORIBUS

IMMACULATAE DEI PARENTIS

EFFIGIES

A POETA ORNETUR

Je sais, ô ma douce patronne !
Que Dieu fait devant ta couronne
Pâlir nos fleurs;
Mais nos fleurs savent beaucoup dire;
Ton œil de mère doit sourire
A leurs couleurs !

A. Rainguet

Formosas alii violas, casiasque rosasque,
Ut tibi praecingant tempora, Virgo, legant.

Sedulus at carpet candentia lilia vates,
Omnibus hos flores floribus anteferet;

Pura tibi, pedibus quae diri colla draconis
Lacteolis calcas, lilia conveniunt.

DEIPARAE IMAGO

LILIA ET SPINAS

DEXTRA FERENS

Il lugustro, che spunta fra dumi,
O non tocca dall'angue, sei tu.

A. Pelleneo

Quam bene candenti gestas radiantia dextrâ,
Lilia, quae mordax, Partheni, spina tegit!

Nam cunctas inter fulsisti intacta puellas
Ut saevos inter pura ligustra rubos.

DEIPARA SANCTA

FULGENS MARIS SIDUS

PETRI NAVEM

CONFLICTARI SOLITAM MERGI NESCIAM

FIDISSIMUM AGIT IN PORTUM (*)

A ses douces clartés le jour reparaissait,
Les vagues se taisaient sur la mer aplanie,
L'abîme au gouvernail sans peine obéissait;
Et l'étoile, c'était Marie.

A. Rainguet

Quamquam istos fuso sacravit sanguine colles
Aspiciens arces e cruce romuleas,

Petrus vivit adhuc; gentes per saecla gubernat
Ac successorum pectora firmat ope.

Dumque alii ex aliis, series longissima, primi
Clavigeri exercent iura vicesque Patres,

Insidet usque adytis, sacrae penetralia sedis
Asservans, falli nescia fata canit.

Sponsam Agni nunquam, conscendens sidera linquit,
Flete Acherontaeis pallida monstra vadis !

Ducit oves aeterna ad pabula, ducit et agnos,
Et latum errorum proruit imperium;

Ipse regit cymbam; penitusque sonantibus curis
Stridet, sed nunquam fluctibus obruitur;

Ac conspersa pio felicem lumine proram
   Tutum per scopulos, per freta currit iter;

Celsa inter cernit nam sidus nubila amicum,
   Quod radiis Mariae nomina sancta notat.

Ipse fidem nutrit, medios quae laeta per hostes
   E Vaticano tollit ad astra caput;

Et Christum testatur adhuc hominemque Deumque
   Et Christi adsidue verba verenda sonant:

Regna mihi in te, ceu petrae fundamine, ponam;
   Nil Petrum adversus Tartara cuncta valent.

(*) Recitatum in Arcadum coetu ad Jani collem.

FLOS NAZARENUS
AD VATIS TUMULUM

Bianco un fior sul mesto avello
Spunta all'aura vespertina;
Come un astro, splende bello
Della luna al pio balen;
Di Colei, che è in ciel regina,
Ha scolpito il nome in sen.

A. Pelleneo

Cum me nigra dies et ineluctabile tempus
Pallentis coget carpere mortis iter,

Non violâ, blandisque rosis calthaque virescat,
Sacri qui vatis texerit ossa, lapis.

Nec crispas inter buxos umbrasque sepulcrum
  Lassos et cineres carmina amica notent;

Unus sed calatho se tollat flosculus albo
  Sculptaque Nazaridis nomina fronde gerat.

CONCILIUM MAGNUM VATICANUM
DIE FESTO CONCEPTUS IMMACULATI
DEIPARAE MARIAE
COGITUR
AN. MDCCCLXIX. (*)

Elle a vaincu Satan, elle a soumis nos cœurs.

A. Rainguet

Cur diros inter sonitus dirosque tumultus,
Qua sol lustrat humum, turba scelesta fremat,

Cum palmas iucunda dies magnosque triumphos,
Quos tulit e saevo Parthenis angue, colit,

Immensasque Pater cogit Romanus ad aedes
Divino tactus flamine Concilium?

Haud miror. Rursum, plausus iterantibus astris,
Virgo terit niveo colla superba pede;

Sacraque in horrentes molitur fulmina noxas,
Conspergensque novo lumine Christicolas

Concilium stygiis minitatur funera regnis
Terris et pacis saecla beata feret.

(*) Editum in opere, cui titulus. — Il Giubileo Pontificale di Sua Santità Papa Pio IX solennizzato in otto adunanze dalla Romana Accademia degli Arcadi - Roma Tipografia de' Fratelli Monaldi — 1871.

INTEMERATA DEI PARENS

CL. V.

EUGENIUM CANO

EPISCOPUM BOSENSIUM RENUNCIATUM

VOLENS PROPITIA

SOSPITAT, FOVET (*)

Bianco cigno e canoro è a te diletto,
Cui dell' Empiro l' immortal Regina
Fa dolce il dire e immacolato il petto.

A. Pelleneo

Quam benė te grato passim cognomine Canum
Reflua Sardonii littoris ora sonat,

Atque tibi cycnus niveis argenteus alis,
Integer Antistes, nobile stemma notat,

Dum blandos per colla modos emittit, et alta
 Demulcet liquidis sidera carminibus!

Namque tuo sanctus renitet sub pectore candor,
 Quem fovet e templis Parthenis aethereis,

Parthenis et divae te clarat munere linguae,
 Fidos quo populos cordaque cuncta moves.

(*) **In praestantissimi Episcopi hujus emblemate cycnus delineatus conspicitur.**

AD

SANCTAM DEI GENITRICEM

MARIAM

REGINAM ANGELORUM COELITUM

PATRONAM HOMINUM PRAESENTISSIMAM

Oui, vous l'avez bénie, auteur de la nature,
Et placée au-dessus de toute créature.

A. Rainguet

Quis latii tantus valeat discrimine plectri
Laudes, alma Parens, concelebrare tuas?

Ante Deus superi quam regni accenderet astra,
Et sol purpureas duceret axe rotas,

Se terrae medium libraret in aere pondus,
Sterneret et zephyrus concita stagna maris,

Vernarentque alto·nascentes aequore glebae
Cursibus atque irent saecula praepetibus,

Sidereae pulcra correptus imagine formae
Delegit matrem Te sibi Coelipotens.

Te variis gaudens stellarum luna choreis,
Quae placida tutum lampade lustrat iter,

Humanosque regens socio cum sole labores,
Leges dat pelago, dat sua iura notis,

Te signat roseo se flectens iris olympo,
Hospita quae crebro nubibus imbriferis

Dum magnos tendit sinuata coloribus arcus
Missile testatur iam posuisse Deum

Fulmen. Te celeres mundi septemplicis ignes,
Seu fluctu occidui mergere se properent,

Orbibus aethereis ornent seu limina coeli
Distinguantque altae vivida rura plagae,

Teque notat flammas inter clarosque sonores,
Qui nullo hamatus carpitur igne, rubus,

Montis perque iugum non ulla incendia passus
Numinis interpres, fronde nitente viret.

Rore madet terra, aridulum te vellus ab imbre,
Sospita te validis fluctibus una ratis,

Spernere quae scopulos potuit fluviosque tumentes
Divitis et ripis constitit Armeniae,

Omine te clarant fausto platanusque crocumque
Te Libani cedri, te Ierichunte rosae,

Solam portendunt te Sioniae cyparissi,
Condidit et summus quae potiora sator.

Te Sara magna virum genitrix, te Debora clavo
Inclita, barbaricis inclita et exsuviis,

Tempora quae Sisarae memorat transfossa, superbis
Sertaque componit sanguinolenta comis;

Te Iudith gladio insignis partoque triumpho
Teque refert niveis blanda Rebecca genis.

At non ulla tamen vultu, quo ferrea corda
  Speluncisque magis dura movere queas,

Non vi, non generis fama, non ulla pudicis
  Se, pia Virgo, tibi moribus assimilet.

Quis latii tantus valeat discrimine plectri
  Laudes, alma Parens, concelebrare tuas?

Sollicito tellus moerebat squalida luctu
  Vexabatque scelus funere terrigenas,

Squamea felici nam versans tergora campo
  Tollens et miris sibila colla modis,

Arduus insueto coluber splendore refulsit
  Insuetisque dedit mellea verba sonis.

Hausit tartareas mulier tunc credula voces
Legit et audaci poma verenda manu,

Et vitam diro temeravit prima veneno
Occultae spargens semina nequitiae.

Inficiensque nova venturos labe nepotes
Perdidit excultas et sine sente vias;

Perdidit aeterno rorantia culmina vere
Perpetuo amisit rura beata thymo.

Dumque sinu foedum transfixo vulnus inhaeret,
Adgemit et subitis aura benigna malis,

Infelix dictisque atri decepta draconis,
Deflevit longa perdita amaritie.

Arva per et steriles erravit pallida colles,
  Gignit ubi hirsutos sors inimica vepres,

Tristis ubi pluviis desaevit turgida ventis
  Tempestas, nigrant et sine sole dies;

Tetraque perculsos, erebò plaudente, dolorum
  Agmina mortales nocte dieque premunt.

Reddidit interea resonans suspiria vallis
  Antraque funestis percita lacrymulis;

Obscuraque polus stellas caligine cinxit,
  Horruit et rigidis hispida terra rubis;

Et nemora ädsiduas cautesque dedere querelas
  Et late informi squalida prata situ.

Tu sola omnigenas supra veneranda puellas,
Virgo, micas niveo sidere candidior,

Bellatrixque adstas, rebus solamen in arctis,
Ferret quae mundo gaudia, ferret opem.

Materna optatam te vix dum concipit alvus,
Sancto quae mater numine dîgna fores,

Nulla afflas nostrae victrix contagia culpae,
Vitas et saevae dedecus omne luis;

Conanti frustra te laedere sola colubro
Tergora victa teris lethiferumque caput.

At quae lugebat charis ab sedibus exsul
Vocibus Heva statim temperat a querulis;

Amplius haud passis per tristia colla capillis
  Amissas repetit pectore delicias,

Indolet haud viridi flores sub rupe nitentes,
  Pallidula haud moestis imbribus ora rigat;

Nec fidos memorat lucos puroque coruscos
  Sole hortos, picti laetaque saxa iugi,

Tranquillosque lacus et leni murmure flabra,
  Et quae muscosis fontibus antra scatent.

Tu mortalis enim stirpis decus, aurea proles,
  Agmina calcasti tortareumque ducem,

Qui modo crudeli populos ditione gravabat
  Ridebatque hominum callidus exitium.

Quocirca exsortem primaevae ab origine culpae,
 (Vincula taenarius mordeat ore leo !)

Ut nos in rerum properes servare ruina
 Christiadumque adsis, Partheni, praesidium,

Te divo tactus sublimem flamine mentem
 Romanus sacra dicit ab arce Pater.

Quis latii tantus valeat discrimine plectri
 Laudes, alma Parens, cencelebrare tuas ?

Cum primum sterilis rugosâ et cana senectâ
 Insolitam gestans progeniem gremio

Te demum, Judae genus alto a sanguine cretum,
 Oras in dias luminis Anna tulit,

Quam moestis veteris scelus exitiale parentis
  Terrigenis sanctam, Partheni, sustulerat,

Reddis tu laudem, trudensque in tartara bellum
  Aurea praesenti saecula condis ope.

Teque polus tellusque canunt domuisse tyrannum
  Protinus et pedibus tartara lacteolis,

Et calcasse hydras saeva cervice minantes,
  Priscae quae culpae nescia prodieras.

Exoritur veluti croceis aurora quadrigis,
  Sol veluti supero flammifer orbe rubet,

Talis formosae vernat tibi gratia frontis,
  Malis sic niveis purpura mixta tremit.

Adstat stellanti tibi nuncius ales ab axe,
  Candida dumque calens inficit ora pudor,

Vixque poli nitidis missum de sedibus audes
  Aspicere at mirum combibis eloquium,

Una palaestinos inter gratissima coetus,
  Omnes inter [illegible] tolleris Isacides,

Aucta fores mirae sancto quae germine prolis
  Afflatumque sinu coelitus exciperes;

Expers nam thalami semper tactusque iugalis
  Fers dulci sobolem pondere sideream,

Foecundamque audis te matrem nomine dici
  Usque sed intacto corpora flore nitent.

Fulmine qui rutilas potis est torquere procellas
  Miscet qui tetris nubila turbinibus,

Coelicolumque super graditur fulgentibus alis
  Victaque divinus rex super arma sedet;

Clara poli quae regna tenet, quae stagna profundi
  Aequoris et tecti lumina stelligeri

Condidit et iussu terras, quae saecula texit,
  Quam mare, quam montes, quam stigis unda pavent,

Taenariisque hominum genus ereptura tenebris
  Actutum aeternas deseruit choreas;

Ut scelus infernas cogat remeare cavernas,
  Frangat et invicta vincula saeva manu,

Ut primae late tergat contagia noxae,
Vivo sub rupis pumice frigidulae,

Dum intactae purum famae haud amittis honorem
Virgineumque foves inviolata decus,

Sancta Dei soboles, magnoque aequaeva parenti,
Te genitrice, aegrae limina lucis init,

Abluit et facilis moerentis crimina Adami
Coetibus inducens tempora laeta novis.

Infans squalenti ut pulcher decumbit in antro,
Quod penes insolitis floribus arva vigent,

Purpureisque rosis vernant violisque, rigebant
Quae modo brumali culmina tecta nive!

Artubus induto nostris ut fervida nato
  Carpis mellitis basia blanditiis,

Cum stipula stratus parvi sub fornice saxi
  Mitia det somno lumina victa levi !

An concepta loquar formosis vota labellis
  Carminis et gratis verba coacta modis;

Aut pueri tenero circumdata brachia collo,
  Imposita aut sacris mollia serta comis ?

En vincis tereti candentia membra lacerto,
  Sugit lac niveis dum puer uberibus;

En malas iungis malis, en labra venustis
  Labris, en gremio membra tenella foves;

Suspiransque Deum castis amplexibus haeres,
Leniter et dulces solveris in lacrimas.

En celeres spectas nabathaeo ab littore turmas,
Stella quibus fulsit duxque comesque viae,

Ipsos et reges longinqua ab sede profectos
Ferre aurum, myrrham, sacraque tura Deo;

Certatimque alacres scabrae succedere rupi
Vagit ubi tanto captus amore Puer;

Certatimque piis cunctos ardescere flammis
Et divos Nati procidere ante pedes!

Aligeri interea placidis concentibus auras
Implent, felicem circumeuntque specum,

Veraque venturae promittunt munera pacis,
Et pacem siluae laetaque rura sonant;

Irradiantque umbras, coetu praetendere gaudent
Culmina, et inductos plaudere ab axe choros.

Pastoresque utres calamis stridentibus inflant
Cantus et sociant cantibus aligerum,

Infantemque Deum celebrant qui lapsus olympo
Auras sub gelidas, te genitrice, venit;

Linquit et aetherei stellantia limina tecti
Spelaeique subit pauperis hospitium.

Quis latii tantus valeat discrimine plectri
Laudes, alma Parens, concelebrare tuas?

At feralis enim pectus tibi transfodit ensis
  Contemeratque novis vulnera vulneribus;

Defles nam Jesum manibus post terga revinctum,
  Diris quem lictor fustibus aggreditur,

Membraque proscindit resonantibus alma flagellis
  Saevus et in lacerum verbera congeminat!

Natum quin sequeris numeroso milite septum,
  Spargentem guttis compita sanguineis;

Vibrantesque hastas, contorto et vimine fasces,
  Vepres et rigidos lethiferamque crucem,

Ac multo (heu pietas!) concretos sanguine crines
  Transfixa et clavis brachia funereis,

Saepius insolitos mater perpessa dolores
  Et tristi humectans lumina rore vides;

Excelsoque vides pendentem e robore Christum,
  Nostris qui solvat debita criminibus

Supplicia, et divos foedum crudeliter artus,
  Confossa ac telis pectora fraxineis!

Planctibus ora rigas moesto sub stipite, natus
  Donec dilectam reddat ab ore animam,

Condentique oculos vicina morte natantes
  Nullâ ferre vales aegra levamen ope;

Questibus obrueris lacrimas qui, Virgo, cierent
  Sive essent ferro pectora dura magis,

Exanimum trepidis iam iam complecteris ulnis
Fletibus et tergis vulnera luctisonis;

Tempora nexa rubis, transfixaque cuspidis aere
Exanguesque pedes, languidulasque manus

Externata doles; tecum quoque funus acerbum
Et charae indigum supplicium sobolis

Sol plorat, nitidosque tegit ferrugine vultus,
Atque ima tellus excita sede gemit,

Motibus et subitis, subitis patefacta ruinis
Auctoris clarat tristia fata sui!

Sed lacrimis finis; dulces redivivus in auras
Praecingit sertis tempora laurigeris,

Ac morti, propria fretus virtute, catenas
  Vinclaque tartareis iniicit agminibus.

Dein Jesum ante oculos, puraque in luce micantem
  Conspicis, et primum, Partheni, fronte decus;

Teque poli illabens stellanti spiritus arce
  Orantemque afflans numine corda replet;

Dissolvitque, altis dum mors stupet inscia factis;
  Corporis alma tui vincula divus amor.

Bisseni Christi comites mundiqne magistri
  Urnam solliciti dum reserare parant,

Motum mirantur saxum, vacuumque sepulcrum
  Clausit quod niveo candida membra sinu,

Nam manus aligerum revocatum ad nubila corpus
  Addit virgineum sedula sideribus,

Et crebro ludens cantu citharaque sonora
  Accelerat cupidis reddere coelicolis.

Omine te fausto Divam venerata secundo
  Convexa attollunt atria carminibus;

Jucundoque iubar solis te vestit amictu,
  Lunaque te subter candida se sinuat;

Terraqne reginam passim clamore salutat
  Instaurantque truces tartara nigra sonos,

Commotaeque horrent erebi reboantque latebrae
  Prospiciuntque atris fata necesque vadis.

En dilecta patent manifesti limina coeli
  Insuetaque micant irradiata face;

En croceis invecta rotis, stipata catervis
  Ingrederis superae templa corusca domus,

Ingentesque choros inter procerumque senatum
  Accipis aetherei sceptra regenda soli.

Blanda tuae Numen defigens oscula fronti
  Imponit meritis aurea serta comis,

Sertaque perpetuae servant sibi frondis honores
  Flagrantique astro splendidiora manent.

Hinc te confestim venerandi tecta Tonantis
  Imperiumque tuum iussaque sancta colunt,

Hinc nutu pendent stellae, gratantur ovanti;
Gaudent et castis subdere se pedibus,

Et numen venerata tuum, tua dicta capessit
Alituumque acies terrigenumque cohors,

Reginaeque pios duplicat per compita plausus,
Et sine fine plagae gaudia vera monent.

Flammivomi rubeo solis sed lumine tecta,
Tranquillasque regens coelicolum choreas,

Innumeris radians flaventia tempora stellis,
Sub pedibus lunae cornua iuncta terens,

Gressu dum domino regina incedis olympi
Immensoque nites conspicienda throno,

Felices inter cives, sonitusque supernos,
  Diva, tamen nostros despicis haud gemitus.

Terrigenis, casu donec versantur iniquo,
  Orci perfracto robore, spem revocas;

Annuit omnipotens genitor quodcumque rogasti
  In pura et vertit gaudia tristitiam.

Rebus in angustis orbis tibi supplicat, astrum
  Rite suum precibus te vocat adsiduis,

Templa tibi ponit pariis innixa columnis
  Et sacris urit turca dona focis,

Aras atque tuas vario de flore coronat,
  Quem virtus fido pectore gignere avet;

Namque hominum coetum sanctas traducis ad auras
Quem rapis inferni liminis e tenebris,

Oraque clementis visurus fulgida matris
Scandit siderei regna beata poli.

Quis latii tantus valeat discrimine plectri
Laudes, alma Parens, concelebrare tuas?

IN NUPTIIS

NICOLAI TACCONE-GALLUCCI DYNASTAE

CUIUS

IN COLENDA VIRGINE MARÍA

CONSTANTIAM

OPEROSUM PROBAT VOLUMEN:

LA VERGINE MADRE E L'ARTE CRISTIANA

Quel serto nuzïal, che a voi favella
Di fè costante, immacolata e pia,
Sposi, non temerà verno o procella;
Olezzo eterno gli donò Maria.

A. Pelleneo

Celsas linque domos, croceis qui fulgidus alis
Inficis haud Cyprii mortales labe veneni,
Nec crines myrto cinctus frontemque caducâ

Idalii ludis frondoso in vertice montis,
Aut telum cocca torquens penetrabile flammâ
Indomitis passim furiis praecordia versas,
Sed cives inter superos sedesque beatas
Astra colis, renitensque thronum prope Virginis altum
Aurea perpetuo diffusis serta capillis
Imponis, sociique foves consortia iuris
Vivida terrigenis ut saecla perenne recurrant.
Stellantique petens terrestria regna volatu
Huc, Amor, appropera; plexas hic, sancte, coronas,
Vinclaque flore orna, taedasque accende coruscas
Largiter ecce calens panchaeo fumat odore
Aedes sacra; Deus praesenti numine votis
Annuit, e coelo placidis subridet ocellis
Undantesque novo conspergens lumine malas
Fatidicas spirat Zephyris halantibus auras
Nazaris; utque rosae frondes radiosque rubentis
Formosum miscet per amoena vireta ligustrum,

Qui culto ingenio vernat, qui moribus aureis,
Illustris Iuvenis, docti spes optima coetus,
Mirâ florentem penitus virtute Puellam
Per connubia casta, iugi per foedera dulcis
Omine iam sociat fausto, concordibus annis.
Puras ecce manus iungunt, digitoque tumescens
Annulus inseritur; firmis at corda revincit
Nexibus alma fides. I tuto, Antonia, gressu
« Depensum ad Iuvenem qui te suspirat et ambit;
Te pax, te risus festas comitantur ad aras.
O felix hymenaee! o fortunata lapillo
Candenti signanda dies! Nam carmine pandet
Quis chari laudes sponsi lumenque iuventae,
Sedula quam pietas infracto robore obarmat?
Quis magnas animi dotes, auctamque pudore
Egregiae mentis speciem, quis nomina avitae
Gentis? Non illo graditur facundior alter,
Nec magis a teneris miras instructus ad artes.

Ille decus stirpis priscum, formasque vetusti
Temporis insignes imitatur et aemulus alti
Ebibit ingenii vario quo munere pollet.
Ille vago Ausoniis sonitu memoratus in oris
Laudibus et puris inhians clarisque repertis,
Quae cura liquere patres quaesita tenaci,
Candida mansurae quaerit sibi praemia vocis.
Incensusque aevi grato venientis amore,
Inclyta devinctus viridanti tempora serto,
Mirifico cultas onerat sermone tabellas;
Immotoque parans nomen magis aere perenne
Tramite progreditur laeto et felicibus ausis;
Divinaque pium tactus dulcedine pectus
Insolitum gaudet sophiae conscendere clivum.
Quin ipsa est templis Virgo delapsa supernis,
Aestu quae magnum succendit Numen amanti
Atque vices timidi nullas experta pudoris
Adflata aethereâ peperit divinitus aurâ;

Verbaque sidereis deducens blanda labellis
Alma dedit formae nuper praecepta venustae
Ingentique artes replevit provida luce.
Coetibus Aligerum septus, citharisque chorisque
Ille oculis haesit miro defixus in ore
Pulcros atque stupens vultus frontemque pudicam
Excepit scripto Matris dictamina et igni
Flagravit penito referens speciemque decusque,
Coelica continuis feriunt quae corda sagittis;
Ac tantae populi laudis miracula pronis
Auribus attoniti discunt, plausuque sequuntur
Unam quam recinunt primaeva labe carentem.
Hinc Illum dulci spectandum flore iuventae
Adsidue vastum tollens super aethera fama
Conspicuum meritis optata in luce locavit,
Reddidit et vigili rarissima munera alumno;
Ac volitans, convexa patent quâ moenia mundi,
Arrectas hominum subito vox percutit aures,

Et Nicolai passim praeconia dicit;
Flexanimoque refert hilaris modulamine cantus,
Ut fidas inter laetus sublime catervas
Sacri Pontificum, iuris defensor et aequi
Attollat caput, innubi velut aethere magnus
Sol micat irradians, cunctisque rubentior astris
Dividit axe diem et nostrae lux publica terrae
Spicula multa vibrat, nitidumque illuminat orbem.
Quique ardor, quantusque vigor, quae copia fandi,
Quae docilis morum integritas, generosaque firmi
Vis animi! gravibus fervens sub moribus aetas
Ut latet! attonito properans spectacula mundo
Ut mentem solidat bonitas, et nescia falli
Religio aeterni suffundit lumine veri!
Hinc pectus taciti pertentant gaudia patris,
Qui longe nostrae decus haud superabile gentis
Ad famam doctus memores intendere curas
Ignavo certat turpique obsistere saeclo;

Sive vacet Superis, validis seu viribus aras
Tutetur celeretque sacras decerpere lauros.
Hinc Pius, humanae lux et solatia stirpis,
Terrarum communis amor, certumque levamen,
Qui puro Mariae praecingens sidere crines
Conceptam asseruit veteris sine labe parentis,
Artes qui sancto facilis munimine cingit,
Quique animo totum magno complectitur orbem
Largaque munificâ profundit praemia dextrâ,
Ad meritos Illum celebrans attollit honores,
Donat epistolio, tituloque exornat equestri,
Ac grati, Ausoniâ plaudente, insignia facti
Pendula de collo Iuvenis fulgere videmus.
Laudibus at clarus propriis et clarus avitis,
Coniugis ingenti castae correptus amore
Nunc taedis demum sponsus lucentibus auctus
Ardet connubii socialia vincla subire.
Celsas linque domos, croceis qui fulgidus alis

Astra colis, renitensque thronum prope Virginis altum
Aurea perpetuo diffusis serta capillis
Imponis, legesque foves sacro igne maritas;
Stellantique petens terrestria rura volatu
Huc, Amor, appropera, plexas huc ferto coronas
Vinclaque flore orna, taedasque accende coruscas.
Sis nuptis felix! Aurato obvelat amictu
Pulcra comas, suavique viro iam traditur amplis
Promeritis, niveo et praestans candore Puella
Intactusque nitor, fervens et coniugis ardor.
Hanc Deus eximie donis coelestibus ornat,
Huius virgineam servavit sedula laudem,
Nostri praefulgens coeli et venerabile sidus,
Parthenis, et cordi puros afflavit amores.
Hac non incedit dilectos blandior inter
Ulla puellares coetus, non purior ulla
Nobiliorque micat nutu cultuque venusto
Incessuve adeo referens malisve pudorem,

Ipsos qui comit crines, oculosque loquaces
Flavo collatos auro facibusque benignis;
Charior haud alii species; maturior aevo
Canaque primaevis gliscens solertia lustris,
Et placidâ residens collecta modestia fronte
Effulget late gemino formosior astro.
Ac velut assurgens germen spirantis anethi,
Auricomae sidus glebae, zephyrique voluptas,
Palladis egregias virgo informata per artes
Cunctis progreditur tenerum iubar addita terris;
Ingeniumque capax illi, mentemque sagacem
Est divus primis Rector largitus ab annis.
Illi cura Deum penitis adamare medullis
Intactamque Dei Matrem sanctasque cohortes;
Intemerata illi virtus, puroque rubentes
Laetitias aperit rarissima honore juventus;
Iucundumque genis miscet cum lacte ruborem
Perque albos errans pandit sua lumina gyros.

Ast nunc impatiens et dulcibus anxia curis
Templo succedit, rutilas festinat ad aras,
Concipiensque novas iucundo pectore flammas
Iungit se Iuveni castissima sponsa pudico.
Celsas linque domos, croceis et fulgidus alis
Huc, Amor, appropera, taedasque accende coruscas
Atque initum placidis foedus bonus aspice ocellis;
Laetius ac fulgent dum sanctis ignibus arae
Deiiciensque pio radiantia lumina vultu
Perpetuos Iuveni virgo promittit amores;
Dum mille Aligerum hinc atque hinc chorus adsultantum
Te sequitur, gaudetque modis fidibusque canoris,
Attonitaeque silent positis discursibus aurae,
Et digito chordas pulsans et pectine eburno
Praescia tu nuptis extemplo fata resolvens
Dulcisono mites effundas carmine voces;
Temporis obscuras taciti reserare latebras,
Splendida nec dubites praedicere facta nepotum.

Scilicet innumeris cursus iterantibus annis,
Hos intacta fides Iuvenes, secura fovebit
Hos pax atque salus, rerum gratissima; claro
Sponsa vices sponso semper dilecta per omnes;
Sponsus et unus erit sponsae fervorque decusque.
Utque hiat halanti flos iucundissimus horto,
Pignora blanda thori, adridenti scitula labro.
Nicolae, ardens vitales hauriet auras,
Colludetque statim proles, tua dulcis imago.
Et quamvis aetas umbris teterrima gentes
Obruat et nigri circum ferus arbiter Orci
Errorum coeca populos caligine mergens
Audeat insano tranquilla lacessere bello
Sidera, mortalesque arctis vincire catenis,
Spem fidei in magnam surget nostro inclita saeclo
Nicolae, tuis soboles prognata hymenaeis;
Atque tuis matrisque genis prima oscula figens
Incipiet famae stimulos versare futurae.

Sidereique oculi soboli, vultusque decori
Confestim ut possit cognosci mater in illa;
Grandior ut crescens paullatim ingentibus ausis
Ac repetens animo Patris benefacta celebris
Eximias laudes imitetur viribus aequis,
Aeternoque domus vigeat pulcherrima honore,
Ardua mens teneris solersque agitabit ab annis
Corpora, corripiet sophiae vis candida pectus.
Illam caeruleis e verticibus dilapsa
Versabitque sinu Pietas, extollet in ulnas
Excipiensque almis accendet amoribus ignes,
Religioque novis sese iactabit alumnis,
Qui magnum ingenio patrem, qui pectore reddent,
Qui coeli voto tacti tactique supernis
Muneribus vertent totam ad sublimia mentem,
Illorumque altis clarescent saecula factis.
Celsas linque domos, croceis qui fulgidus alis
Inficis haud Cyprii mortales labe veneni,

Nec crines myrto cinctus frontemque caduca
Idalii ludis frondoso in vertice montis .
Aut telum accensa torquens penetrabile flamma,
Indomitis passim furiis praecordia versas;
Sed cives inter superos sedesque beatas
Astra colis renitensque thronum prope Virginis altum
Aurea perpetuo diffusis serta capillis
Imponis, sociique foves consortia iuris
Vivida terrigenis ut saecla perenne recurrant;
Stellantique petens terrestria regna volatu
Huc, Amor, appopera; plexas hic, sancte, coronas
Vinclaque flore orna, taedasque accende coruscas.

POETAE

IN COLENDA DEIPARA

STUDIUM

Souvent, à cette heure si douce
Où le soleil pâlit, où se taisent les voix,
Il vint s'agenouiller sur le lierre et la mousse
Aux pieds de la Vierge des bois.

A. Rainguet

Cum ver in nitidas os profert luminis auras
Mollia dux ovium laetus ad arva redit;

Purpureis mulcens gemmantes floribus hortos
Cycnus mellitos integrat ore sonos;

Leneque suspirans dulces praedatur odores
  Innumerasque fovet mitior aura rosas.

Ceu pastor, niveas aras et templa revisam,
  Diva, tibi memores quae posuere patres;

Ceu cycnus, plectro ludens fidibusque canoris
  Lucida virgineum nomen ad astra feram;

Ceu levis aura, labris promam suspiria, castum
  Parthenio testans igne calere sinum.

POETAE MARIANI

TUMULUS

Muta l'urna non è, che l'ossa chiude
Del tuo cantore!

A. Pelleneo

Vates heic iacco; quae vivus arundine lusi,
Fundam etiam gelido carmina sub tumulo.

Cur? Jessaeus amor docuit me texere versus,
Ast nullo tantus funere languet amor.

VIRGINEM MATREM

A CONCEPTU IMMACULATAM

PIUS IX

RITE DECLARAT

Saint Pontife, la Ville et l'Univers sont prets;
Du haut de cette chaire où vous parlez au monde,
Dites l'insigne honneur de la Vierge féconde;
Déclarez que son être, au fils de Dieu promis,
A l'ennemi de Dieu ne fut jamais soumis.

A. Rainguet

Jure Pius niveum summis e Patribus unus
Magnae conceptum Virginis asseruit·

Ac palmam, e diro retulit quam Diva tyranno
  Colla terens anguis subdita tartarei;

Unus enim stygio ducens ex hoste triumphum
  Errorum totum proruit imperium.

ALMA DEI PARENS

IMMACULATA MARIA

PIO IX

XXV PONTIFICATUS ANNUM

IMPLERE TRIBUIT

È don di Lei, che sulle stelle ha impero,
Se vincesti l'età del maggior Piero.

A. Pelleneo

Regna Pius faustosque Petri iam contigit annos
Maior et elucet gloria Pontificum.

Sic Illi insolitum merito das, Partheni, munus
Christiadumque Patri reddis amica vicem,

Qui dudum insolitas decreto vindice palmas
Conceptusque decus Virginei asseruit.

PRAESENTISSIMUM

DEIPARAE

AUXILIUM

NUMQUAM DEFUIT

CAIETANO MORONIO EQUITI

QUAMPLURA VOLUMINA

CONFICIENTI (*)

Vous dont l'image est là sur sa poitrine,
Et dont le nom fait que son front s'incline
Cent fois le jour.

A. Rainguet

Nullum terrigenum mendax sententia dixit
Innumeros culte condere posse libros;

Arguis id penitus falsum, erroremque resolvis,
Qui vanis mentes lusit imaginibus.

Ipse etenim nostris fauste e scriptoribus unam
  Arsisti casto pectore Nazaridem;

Sed miro facilis pectus tibi robore cinxit
  Nazaris, et magnos addidit illa animos,

Illa tibi divo perfudit lumine mentem
  Ac divo ingenium nutriit alloquio.

(*) **Caietanus Moronius Eques edidit opus, ita vivam, egregium atque ingens, cui titulum fecit: Dizionario di Erudizione Storico-Ecclesiastica.**

AD

PROSPERUM LIBERATI-TAGLIAFERRI (*)

COMITEM

IN OBITU GERMANI PATRIS

CULTORIS

VIRGINIS MARIAE

SATIS SPECTATI

D'eterno lauro al crin porta corona
E con Maria de' cari suoi ragiona.

A. Pelleneo

Sume animum curasque averte, haud dissitus errat
A te Germanus progenieque tua;

Nam quae siderei regina incedit olympi
Terrigenisque pium sidus ab axe micat,

Ad cantus illum laurosque vocavit, et illè,
 Parce metu, ad coeli regna beata volans

Vos ardet potior, melior vos noscit et olim
 Vos optat secum Virginis ore frui.

(*) Prosperum Liberati-Tagliaferri, generis nobilitate apprime clarum deque religione bonarumque artium studiis optime meritum, inter insignes aetatis nostrae scriptores numerare liceat.

Hoc epigramma vel imitatur vel latino sermone reddit suavissimum carmen italicum Philippi Scolarii equitis, viri litteratissimi, qui haud ita pridem diem suum obivit bonorum omnium lacrimis honestatus.

GULIELMO ROOPE BRITANNO

IUVENI CUM PRAESTANTISSIMIS

MATRIS NOSTRAE MARIAE

CULTORIBUS COMPARANDO

SACRIS PRIMITUS OPERANTI

POETA MAGNUM HONOREM GRATULATUR

Les Saintes et les Saints, en longs vêtements blancs
En ordre, vers l'autel marchèrent à pas lents;
Là sur un trône d'or assise et couronnée
Aux élus dont sa chaise était environnée
La Vierge souriait, et ce sourit charmant
Tenait les bienheureux dans le ravissement.

A. Rainguet

Aligerum stipante choro, quâ Tibur amoenos
Perpetuo florum munere iactat agros,

Mysta novus propere festas incedis ad aras,
  Promis in arcanas verba colenda preces.

Dumque dapem, vinumque afflas, dulcique susurro
  Ipsum sidereo ducis ab axe Deum,

Laeta tibi nitido Virgo subridet olympo
  Et cordi puras dextera spirat opes;

Sidereaeque acies plaudunt, collesque superni
  Maioris celebrant carmina laetitiae.

Quosque tibi rapuit coelum, stellisque receptos
  Immensus Rector tempus in omne beat,

Lumine te cernunt placido, castique parentes
  Candidiora animis gaudia concipiunt.

Festivosque inter sonitus cantusque superbit
Te nato, laudes edit uterque tuas;

Ac te certatim felicem nomine dicit,
Nam telluris adhuc incola luctisonae

Mirifico sanctos aequas imitamine coetus,
Fulgida qui clari Numinis ora vident.

DEIPARAE EFFIGIES
AERE EXPRESSA
IN
HORTO AMOENISSIMO

A me fra questi colli esule, errante,
Mentre al rumore cittadin m'involo,
Vergine, assai più dolce è il tuo sembiante.

A. Pelleneo

Rident heic croceo pictae velamine glebae
Mulcet et acclives aura serena lacus;

Laetius at sculpto resplendet Nazaris aere,
Spirantesque oculi vivaque labra nitent;

Nam flores zephyrique ferunt solatia membris,
Sed pia imago animos aegraque corda levat.

DEIPARA VICTRIX

Sans toi, dans ce séjour de larmes
L'ennui, les regrets, les alarmes
Briseraient le plus ferme coeur:
Mais la douleur cède à tes charmes,
De la mort ton bras est vainqueur.

A. Rainguet

Dicite parthenias, mea carmina, dicite laudes
Partheniasque novo cingite flore comas.

Tu clarum mundi decus et tutela labantis,
Imperium, vastus quâ patet orbis, agis,

Victricemque colunt dominam rutilantibus alis
Innumerae circum coelicolûm facies;

Numquam etenim, Virgo, lethali infecta veneno
  Tergora fallacis nigra premis colubri.

Unica tu primae labis, tu criminis exsors
  Optatae moestis nuntia pacis ades,

Annosae tumido latitans tu matris in alvo
  Hostibus e rabidis sancta trophaea refers,

Concutis atque erebi sedes, vallesque dolentes
  Et tristi evertis condita regna lacu,

Edomitum regemque stygis fractasque catenas
  Lucifugasque acies, axe sonante, teris,

Quae frustra in veteres barathris immanibus iras
  Ardent et iunctis viribus arma movent,

Pectora tortilibus glomerant squamosa chelydris
  Atque uncâ miscent ignea tela manu.

Vindice te, coeco correptum turbine crimen,
  Quâ flammas inter nigra dehiscit humus,

Fertur in abruptum, caligantesque latebras,
  Antraque pallenti squalida nocte petit,

Valles perque imas et luctisonos ululatus
  Vinclorum nexu membra cruenta quatit.

Fervidus ut passim rutilis exercitus hastis
  Infert se campo lataque rura premit,

Hostiles gladiis et tempestatibus actos
  Absumit currus, abripit et pedites,

Buccina dum nubes pulsat, dum fertur ad auras
Pulvis et in pugnas excita turba ruit;

Nasceris; aetherio cernit te numine plenam
Densos et fremitus dentibus ingeminat

Taenarius rursus princeps, coecusque furore
Submittit pedibus turgida colla tuis;

Dumque hominum generi, nostrae spes certa salutis,
Ostendis facili tramite ad astra vias,

Vincula terribili calcas cervice gerentem,
Quae late invicto sub pede turba gemit.

Exuviasque axis portis affigis ahenis,
Agminibusque micas fortior armigeris,

Adfers quum partu auxilium mortalibus aegris
  Et fraudum penitus proruis imperium;

Ac scelerum terror, lux et fidissima mundi
  Obstructi reseras limina celsa poli.

Tum lingua terram lingit latrator Anubis
  Omnigenûmque deûm monstra superba pavent;

Proripit impietas sese, rixaeque sequaces
  Saevus et errores quotquot avernus agit.

Dant sonitum, vepresque inter volvuntur acutos
  Et concussa gravi pondere templa trahunt

Infames aras; subitis tremefacta ruinis
  Nullas excipiunt turpia signa preces,

Nec supplex lapidum pronis accedit acervis
  Impia qui pingui numina thure colat.

Ardua iamque throno pergis stellantis olympi
  Terrigenum valida solvere vincla manu,

Diras atque acies, diros et proteris hostes,
  Vanas qui celerant instruere insidias;

Ac Petri cymbam iactatam fluctibus atris
  Nimbi inter tetras oceanique minas,

Dum pallent quotquot flammata mente fatigant
  Saevam Christicolis agmina perniciem,

Dextra afflas, zephyrique levi clementius aura
  Exhilaras naútas velivolasque trabes,

Leniter atque undae alternanti flamine pulsae
Plangorem tenues prociduum resonant;

Laetitiaeque trahis nutrix dulcissima, laevo
Turmas ceu tactas fulgure praecipites,

Atque mones clara vicinum luce triumphum
Cui numquam similem relligio tulerit.

Dicite parthenias, mea carmina, dicite laudes
Partheniasque novo cingite flore comas.

(*) Confer pulcherrima de Virgine Maria carmina a P. Henrico Nozzio e soc. Jesu, viro clarissimo, concinnata, quae imitari aliquando conatus sum in hisce meis argumentis fere eo poeseos genere, quod extemporale dicitur, pertractatis - Elegantissimum de vita P. Henrici Nozzii commentarium perscripsit publicisque typis vulgavit P. Josephus Melandrius, qui celebriorum aetatis nostrae scriptorum gloriam ingenio, doctrina et italicae latinaeque linguae peritia est adsecutus.

DE

MARIA SANCTA DOMINA NOSTRA

ET

PIO IX PONT. MAX.

XII CAL. IUL. AN. MDCCCLXX

Un angiol reca sulle bianche piume
I prieghi a Lei, che nell'olimpo impera.

A. Pelleneo

Vive diu, primi regnumque annosque videre
Clavigeri longos ac superare queas;

Cumque doces homines fidei morumque magister,
Te credat plenum numine terra loqui.

Haec precor ingeminans, Mariamque in vota lacesso
  Ac praesens votis flectitur ipsa meis;

Quid dubitem? An miranda tibi, Pater optime, posco?
  Sed tua miraclum vita perenne fluit.

DEIPARA MARIA

VATIS

TUTAMEN ET PRAESIDIUM

Quand pour le ciel nous luttons dans l'arène,
Tout notre espoir est en toi, douce Reine;
Parle à ton Fils pour tes autres enfants;
Ne permets pas que le démon nous blesse,
Et dépouillés de l'humaine faiblesse,
Dans ton palais reçois-nous triomphants.

A. Rainguet

Ut squamis horret sinuosa volumina versans
Insurgensque atro sibilat ore draco,

Accipiterve auras pennis velocibus urget,
Inque omnes rostri cuspide saevit aves;

Hydris sic foedis, manibus sic lurida aduncis
 Infrendet stygiis bellua saepe vadis.

Cornuaque attollens, setosaque pectora, fidum
 Alas in vatem concutit igniferas.

Nulla sed mentem premitur formidine vates,
 Nullo vox haeret stantque pavore comae;

Tristia nec properi pandens discrimina casus
 Moestas anxietas inficit aegra genas.

Adstat nam aligerûm centum stipata catervis
 Innocuasque iubet daemonis ire minas,

Sidereoque fovet iuvenem blandissima amantem
 Ac placido praesens lumine Virgo videt,

Exsors quae labis primaeva ab origine, casto
Protrivit satanae subdita terga pede.

TUMULUS PUELLULAE

OB SUMMAM

IN VIRGINEM PIETATEM

OMNIBUS CARISSIMAE

Raccolse il fiore e trapiantollo in cielo.
A. Pelleneo

Iure, Helenilla, tuum, denso velut imbre, sepulcrum
Purpureis hilares spargimus usque rosis;

Es terris praereptus enim tu flosculus, aureis
Ut coeli ornares candida prata comis,

Et superis inserta plagis superisque viretis
Floreres niveum Virginis ante thronum.

MARIA DEI MATER

PIA OPIFERA

IUDICIO IN EXTREMO

Qu' en ma faveur votre coeur intercède,
Vous qui savez si mon respect le cède
A mon amour.

A. Rainguet

Omnia discordis turbantur foedera mundi,
Cogit et innumeros hora suprema dies;

Sidera confestim obliquos agitata per orbes
Concurrunt mistis pallida sideribus,

Commotosque petunt fluctus. En buccina cantu
Frigìda luctifero surgere membra iubet,

Agmina et Aligerûm summos latura dolores
 Ferali excutiunt marmora pulsa sono,

Marmora sed cineres reddunt aurita sepultos
 Inque excita animae corpora se insinuant.

En pelagi terraeque omnes elementa per oras,
 Horrendum clangit dum tuba, cuncta tremunt;

Ac convexa ruit per moesta incendia moles,
 Machina et extremis ignibus atra latet.

Iamque palaestinas trepidis rediviva catervis
 Turmatim valles agmina quaeque ineunt;

Territa quaeque horrent, acris queis concutit ossa
 Anxietas, pallens et color ore sedet;

NamqueCrucis volitat labarum, magnumque tribunal
  Judicis et rubeo promicat aere thronus.

Hei mihi! scinduntur tonitru confinia coeli
  Ignivomosque inter prodit ab arce choros

Fulmina qui torquet Iudex, certumque volumen
  Pandit terrificas parte ab utraque notas!

Quo miser heu fugiam ne aeterna in funera vivam
  Actus perpetuo sub loca senta situ?

O quae signifera renites comitante phalange,
  Tundam dum crebro pectora cum gemitu,

Si nunquam vates aliud te praeter amavi,
  Laudes atque tuli carmine ad astra tuas,

Si niveis puras ornavi floribus aras,
  Adsiduusque precum munera persolui,

Fidos haud spernas fletus, fidumque clientem
  E celsis pronum nubibus adspicias.

A Christi, facili velamine, vindicis ira
  Vindicis a verbis me, bona Virgo, tegas,

Me tecum coeli regnorum in parte locatum
  Des oculis tandem Matris et ore frui.

VIRGO DEI PARENS
FORMOSISSIMA

Chè della terra le sventure e il duolo
A mutarmi in gioir nel petto amante
Basta di tua beltade un raggio solo.

A. Pelleneo

Prata aliis placeant, facibusque rubentibus astra
Et sol purpureum qui tegit igne caput;

Virgineâ semper correptus imagine, pulcram
Rebus ego cunctis Nazaridem anteferam.

VIRGO MATER

AB OMNI ORIGINALI MACULA

IMMUNIS

O fille d'Ève, ô notre soeur chérie!
Tu fus sans tache en ces premiers instants:
Tel de la branche, avec l'hiver flétrie,
Un frais bouton sort aux jours du printemps.

A. Rainguet

Fulget ubique rosa et foliis vernantibus halat,
Expers est duris non tamen ulla rubis;

Es rosa, diva Parens, primaevae nescia labis,
Sed cunctas inter vepribus una cares.

ALMA DEI GENITRIX
MARIA
SOLE AMICTA

Ella avanza; suo manto è la luce!

A. Pelleneo

Quam bene fons lucis roseum collectus in orbem
Ambit sol toto sidere Nazaridem!

Edidit Ipsa etenim fontem lucisque parentem
Quae se numquam oras condit in occiduas.

DULCISSIMAE VIRGINIS
MARIÆ
SPECIES

Reine immortelle
Du haut séjour
Oh ! qu'elle est belle !
A. Rainguet

Pulcro fagiferi decorantur gramine colles
Submittensque rosas daedala terra nitet;

Formosa undivagis lucescunt ignibus astra
Et sol formosos explicat ore dies;

Lunaque tranquillae per amica silentia noctis
  Formoso lustrat coelica regna globo;

Ast lunam, solem, stellas, collesque rosasque
  Virgineis vincit Nazaris una genis.

OCULI DEIPARÆ
SALUTARES

Tu sola ne resti, tu, luce dell'alma,
Del cuore agitato dolcissima calma.

A. Pelleneo

Longos o tandem, Virgo, miserata dolores
Volve oculos, moestos respice terrigenas;

Ne prope depositis pigeat succurrere rebus,
Pellere nec gentis tristia damna tuae!

In nigras solis conduntur lumina nubes
Caligoque atro spissior axe coit;

Attonitis late nox orta nigerrima campis
  Cunctorum gelido corda pavore premit;

Spumanti tumidus torquetur vortice pontus
  Abstrusisque gemunt aequora mota vadis.

Undis nam pelagi violentior incubat eurus,
  Pulsaque nimbiferis insonat ora notis.

At semel advertes oculos si, Virgo, benignos,
  Quae nostri rutilas candida stella maris,

Aequoris ira cadet, ponent certamina venti,
  Constabunt nitido luxque quiesque polo.

TITULUS INSCRIBENDUS

MONUMENTO POETAE

QUI AMOREM

ERGA VIRGINEM MATREM

FOVIT STUDIOSISSIME

O Reine de mon coeur, à ta voix je reviens!

A. Pelleneo

Vates heic iaceo, mira dulcedine tactus
Unam qui semper Nazaridem cecini;

Lacrimulas fundant socii, pergantque sepulcri
In nivea dulcem caedere fronte lyram,

Quam si quis pulset, dubites ne, carmina surgam
Ad nova commoto protinus e tumulo.

CULTOR AGELLI

MARIAE VIRGINI

POMA ET ROSAS

Sul campicel, che a me donavi, un fiore
Surse al mattino.

A. Pelleneo

Hos fontes, haec septa mihi pulcherrima habere,
Haec dat odorato mollia prata croco;

Quâque levis frondes placido quatit aura susurro
Haec mihi diva Parens otia blanda facit;

Ast ego prima Illi gratus munuscula, laetis
Haec commixta dico dulcia poma rosis.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM
DULCEM POETARUM MATREM (*)

Il chante, et ses accents, comme un appel joyeux,
Partout autour de lui, sur les lèvres des anges
Eveillent des accords, d'ineffables louanges,
Dont les voix du printemps, les murmures des flots
Et les soupirs des bois sont d'imparfaits échos.

A. Rainguet

Virgo, fave; plectri allectus dulcedine, *tractus*
Aethereos sacro carmine *transiliam*;

Atque tuae vates dextrae munimine *laetus*,
Fervida dum sanctus pectora carpit *amor*,

Te magnum superûm decus, o pulcherrima *rerum*,
Sole oriente canam, sole cadente *canam*,

Cui mare, cui tellus, cui coeli regia *plaudit*,
Aurea quae castâ sidera luce *tegis*.

Perpetuo meritas renovans tibi carmine *laudes*
Eripui plantis oscula *candidulis*,

Teque puer colui; tibi pectore deditus *omni*
Tentabam nomen tollere ad astra *tuum*,

Saltus cum Aschenios divino percitus *aestu*
Cardetique tenens littora *Chalcidici*,

Dulces ardenti gemitus de corde *ciebam*.
Fundebam teneris vota precesque *labris*.

Utque acris serpit furiatis viribus *ignis*,
Arida qui nemoris robora *corripuit*,

Aut cera aestiferis flaccessit hymettia *terris*,
Ustos cum ignivomum sidus hiulcat *agros*,

Haud aliter penitis irrepens flamma *medullis*
Urebat mentem, sollcitosque *sinus;*

Iessaeaeque pia devinctus imagine *formae*
Languebam sancti vulneris *impatiens*.

Quin vatis tumulum donec cyparissus *opacet*,
Flexilibusque gemant glauca salicta *comis*,

Te sequar adsiduus, flammasque fatebor *honestas*,
Sedula quas fido nutriit ore *parens*

Quum mea tranquillo motans cunabula *versu*
Pressis libabat basia *luminibus*,

Et crebro excipiens teneris mea colla *lacertis*
Rumpebat fletu praepediente *sonos*.

Casti saepe reus voti tua templa *revisam*
Impellamque oras cantibus *aerias;*

Praecingensque tibi crines per colla *fluentes*
Innectam croceis lilia mixta *rosis;*

Utque columba vagis per septa recentia *rivis*
Os ori insertans oscula blanda *rogat*,

Avia dein tenui mulcet virgulta *querela*
Et penna liquidum praepete tranat *iter*,

Tempus in omne tuis infigens oscula *templis*
Semper et amplexu signa colenda *petens*

Partheniis pergam numeris deducere *verba*,
 Pergam partheniae tangere fila *lyrae*.

Quid terrae incumbit violento murmure *nimbus*
 Ac immane sonans asperat unda *salum?*

Quid concreta ruit grando, quid decidit *imber*,
 Saeva quid glacie candida bruma *riget;*

Frigora et infestant discordibus arctica *ventis*,
 Arboreum nemorum comminuuntque *decus;*

Eruit et late segetem culmosque *volantes*
 Horrentique movet praelia fronte *notus;*

Ac valles euro stridunt silvaeque *resultant*
 Et iuga concussis collibus *exsiliunt?*

Usque tibi castum citharâ testabor *amorem*
  Auribus usque tuis dulcia verba *loquar*.

Apricos sitiens colles quid torret et *alta*
  Sirius aridulos lampade scindit *agros?*

Brachia quid cancer curvat, gerit obvius *ignes*
  Stellifer et rabido quid furit ungue *Leo?*

Quid medio pluvius se coelo librat *orion*,
  Altaque labenti robora fronde *carent;*

Et gremium gemmis onerat, depictaque *sertis*
  Autumnus vincit tempora *pampineis* ?

Quid ver florigerum, quid formosissimus *annus*
  Grataque frondentes explicat aura *comas;*

Ac tenero volucres demulcent aera *cantu*
Cunctaque foecundo murmure prata *sonant?*

Unica, Virgo, mihi plectri modulamina *curae,*
Te mihi nil, Virgo, fulget *amabilius,*

Conaborque tuos modulis aequare *triumphos,*
Campos queis superos, divaque *regna tenes*

Bissenisque ambis stellis lauroque *capillos*
Invictaque geris coelica sceptra *manu,*

Aligerumque cohors plausu venerata *secundo*
Observat nutus officiosa *tuos;*

Teque chori superûm, novies quos sidera *censent,*
Votis te supplex, Partheni, terra *colit,*

Quâ sol exoritur, quâ sese condit *in undas*,
Quâque Austrum aut Boream vergit ad *imbriferum*,

Quâ late tumidi glomerantur in aethere *nimbi*
Et nigrat scythici cardinis axe *dies*,

Eurus quâ flabris glacialibus incitat *auras*,
Glebas quâ zephyrus decutit *occiduas*.

Crebri namque hominum gemitus et vota *precantum*
Fulgida conscendunt atria *coelicolum*,

Tuque, genus claro Iessaeae a sanguine *gentis*,
Gloria tu Solymae, regia *progenies*,

Tu bona, cunctarum quot sunt dulcissima *rerum*,
Adstas praesidium terrigenumque *salus*.

Hinc Matri plaudunt homines, blandaeque *moventes*
  Fila chelys, sonitu rura polumque *replent;*

Hinc iuvat ingentes me tollere ad aethera *laudes*
  Teque decus terrae dicere, teque *poli.*

Campis tu merito victrix dominaris *avitis*
  Excipis et mixta thurea dona *prece;*

Namque tuis quicumque amens obnititur *armis*
  Extemplo madidam sanguine tingit *humum;*

At qua Naupacti pelagus cava littora *plangit*
  Aequora Turcarum vasta cruore *rubent.*

Praelia magnus agit turmas in magna *Joannes*
  Ac celsa in puppi pinea texta *regit;*

Fervet bello vastum, remis spumatque *reductis*
  Pellit centenas unda agitata *trabes;*

Hostiles passim commoto marmore *Thraces*
  Lunatosque enses fida iuventa *premit;*

Aspiciuntque rates captae, captaeque *triremes*
  Per sua transtra piam pandere signa *crucem.*

Edomitasque super puppes gentesque *rebelles*
  Late mors alas explicat atra *suas*

Christiadumque celer fusos rapit impetus *hostes*
  Sternit et in medio castra inimica *salo.*

Corpora acervatim fluitant galeaeque *cadentum*
  Diraque purpureis tela vehuntur *aquis,*

Cautes perque cavas, rubeique per aequora *ponti*
Tristia scuta virum fractaque sceptra *ducis*,

Impia cui rigidis arctantur lora *catenis*
Enectumque gemit compedis aere *genu*.

Obscoenum in propria percellit sede *tyrannum*
Insuetaeque volat nuntia fama *necis*.

Hinc correpta gravi moerent praecordia *luctu*,
Ingeminantque truces agmina victa *sonos*.

Hinc matres trepidis implent ululatibus *auras*
Dilaniantque comas, dilaniantque *genas*,

Atraque gliscenti rorantes lumina *guttâ*
E curvo turmas littore *prospiciunt*,

Quas nullus gladiis opponere pectora *strictis*
Nullus et ad caedes amplius ardor *agit*;

Nec iuvat in bello superis concedere ab *oris*
Inque atra audaces conserere arma *manus*.

Amplius haud reboans gelidis e montibus *horror*
Ingruit, haud fuso terra cruore *madet*,

Nec nostros passim populos prosternit et *urbes*
Foedaque lethalis concutit arva *furor*.

Cernimus haud turmis vastari tristibus *hortos*
Ac late densis obsita rura *rubis*;

Cladibus haud moerent nati patresque *nefandis*
Tellus et gelidis tecta *cadaveribus*,

Insonat haud lituus, raucus clangorque *tubarum*,
Amplius haud Thraces perfida bella *cient*,

Occursantque acies equitum peditesque *sequuntur*
Certatim inque hastas agmina dira *ruunt*.

Coguntur sed enim patrias remeare *latebras*
Antris et raptim condere se *Libycis*.

Nam tu, Virgo Parens, nitidis evecta *quadrigis*
Una hostes oculis disiicis *innumeros*,

Horrida quos afrae genuerunt syrtidos *arva*,
Thessala ferali quos tulit Ossa *specu*,

Pectore qui saevo ferrum silicesque *gerentes*
Te colere halanti thuris honore *negant*.

Saepius at placido fulges pulcherrima *vultu*
  Dilectosque foves provida *Christicolas*;

Sollicitisque Unum votis Trinumque *precaris*
  Votis et facili volvitur aure *Deus*.

Dum stratos adamante tenes stellisque *recessus*,
  Agmen quos iuvenum pervolat *Alituum*,

Numquam te nostri subeunt oblivia *luctus*
  Pectore pulsus amor nec fluit *immemori;*

Nostris et coeptis, nostrisque allaberis *orsis*
  Solatrixque domos moestaque regna *petis*.

Publica vota fovet pietas, terrasque *frequentat*
  Festivas rerum copia, spesque *redit*,

Iniicit et recti studium, largitur *amorem*
  Et purgat stygiis e tenebris *animum*;

Quaeque mare ac terras pernici transiicit *ala*
  Te pacis dominam, Partheni, fama *refert*.

Ac dum fulgentes clypeos horrendaque *pila*
  In curva innocuus miles aratra *novat*,

Frontem olea velata piam sanctissima *gentes*
  Relligio pulsis vindicat *insidiis*;

Christiadumque manus iucunda in pace *quiescunt*
  Et mixta edomitis non pavet agna *lupis*.

Saevus praeruptis lambit quum nubila *flammis*
  Vesvius, ac nubem Trinacris Aetna *iacit*,

Immugitque undans latebrosis saepe *caminis*
 Et volvit rupes igniferosque *globos*;

Corrumpitve lues pecudes quum dira *veneno*
 Ac fundo trepidans funera terra *parat*,

Irruit eque Indis labes metuenda *cavernis*
 Europaeque oras lethifer aestus *habet*,

Membraque foeda iacent, reboat singultibus *aer*;
 Terra ardet moestis moesta per arva *pyris*,

Lumina flebilibus sparguntur lassa *tenebris*
 Obscurasque subit gens inopina *vias*,

Vectaque terrificis circum mors nigra *quadrigis*
 Intorquet certa tela facesque *manu*;

Tu bona tam crebros, Virgo, miserata *labores*
  Adspectu pavidos terrigenas *relevas*

Humanaeque micas semper tutissima *pubis* ,
  Tu spès, bacchantis tu teris arma *necis*.

Densa furit nimbi quum vis coelumque *lacessit*,
  Una micas nostris ara reperta *malis*

Prosternat campis tollens sese unda *reductis*
  Ne pastoris opus, ne sata laeta *premat*.

Temnere tu syrtes, tumidos das temnere *fluctus*
  Et coeli tristes oceaniqae minas;

Tranquillosque ciens foecundo ex ore *susurros*
  Immensum mulcét, marmora prona, *fretum*,

Atque pruinosa canas aspergine *rupes*
 Vitali perflat mollior aura *sono*.

Tu prensis facilis succurris in aequore *nautis*
 Optatum ad portum ducis et *incolumes*.

Namque vagis properant placidos dare *puppibus austros*
 Leniter et malo carbasa iuncta *tument*;

Invida spumosae subsidunt murmura *cautis*,
 Torquet ubi coeco vortice pontus *aquas*;

Ac nautae zephyrus dum lenes incitat *undas*,
 Felici gaudent verrere stagna *rate*,

Postque minas coeli, post tot discrimina *ponti*
 Nautis, Virgo, piis ostia tuta *patent*;

Littoris et noti scopulos patriamque *revisunt,*
 Optatasque tenent, dulcia regna, *domos,*

Atque tuas certant laudes aequare *canendo,*
 Detulit in carum quos vaga cymba *solum.*

Auspice te, collis maturat vitibus *uvas*
 Pampineoque rubens tegmine vestit *humum,*

Aspera saxa olea passim frondente *virescunt*
 Vallis odoratis spirat et *arboribus.*

Auspice te, glebis flavescit campus *opimis,*
 Iucundosque hortos fertilis umbra *tegit*

Luxurians pandis et messis inhorret *cristis*
 Incurvaque seges spicea falce *cadit.*

Palmae quàque tremunt et coniferae *cyparissi*
Protendunt nitido culmina nigra *polo*,

Ad salientis aquae fontem floresque *recumbunt*,
Dulcis ubi aestivos temperat aura *dies*,

Et cythisum pecudes tondent et frigora *captant*,
Ludit perque atrum sima capella *nemus*.

Auspice te, illimes volvit pellucidus *undas*
Rivus, serpenti lambit et arva *pede*

Vertice sub patulo, pinguis quem pinus *inumbrat*
Nectareis cingunt cespitibusque *rosae*;

Ripaque purpureis distincta coloribus *halat*
Praeruptique halant florida saxa *specus*;

Tranquilli croceis errant in vallibus *amnes*
Iucundoque sonans murmure lympha *fluit*,

Areolas ambit leni quae vitrea *lapsu*
Questibus atque strepit garrula *perpetuis*;

Rident et casiae, vernantis gloria *glebae*
Et calices tendunt lilia *lacteolos*;

Cultas perque oras nitidi sub culmine *montis*
Aureolas alas exagitat *zephyrus*,

Calthas et vibrant teneras zephyritides *aurae*
Arboribusque cient frigus ab *alticomis*,

Ac frutices inter pandit se purior *aer*,
Quem laetis volucres cantibus *excipiunt*,

Et secura quies et nescia fallere *vita*
  Blandis et volitant otia casta *plagis.*

Quid tibi, Virgo, aliud divino percitus *oestro*
  Nervos et tangens pectine *dulcisonos*

Gratari pergam, certemque efferre *canendo,*
  Urit virgineus dum mihi pectus *amor?*

O quae coelestes inter regina *choreas*
  Ambrosiis nectis astra colenda *comis,*

Purum quam coelum, pelagus, tellusque *verentur,*
  Anguis tartarei quam pavet atra *domus;*

Quae viridi vincis ridentes gramine *colles*
  Et vincis pictum sole oriente *crocum,*

Ac fontes, stellas, aurum, variosque *smaragdos*
Et decoris quidquid fulgidus axis *habet*;

Tempore et omnigenas superas vernante *puellas*
Ornant queis niveas lumina blanda *genas*.

Dona loqui liceat, queis praesens nostra *tueris*
Terrigenisque affers provida mater *opem*.

Sidereos afflas, pravos compescis *amores*,
Cum nostro, Alma, tuum nomen in ore *sonat*,

Nomen coelesti plenum dulcedine, *mellis*
Hyblaei grata suavius *ambrosia*.

Auxit divinae postquam te munere *taedae*,
Ac miro iunxit foedere *Coelipotens*,

Et dios (mirum!) vultus radiosque *iubarque*
  Obnupsit nostris artubus *aethereum*,

Das quoque pallentis ripas evadere *averni*
  Valles et nigras, sulphureosque *lacus*.

Per te ros summo divus manavit *olympo*
  Atque avido rorem combibit ora *sinu*,

Per te desertae riserunt culmina *silvae*
  Atque ipsi tulerunt roscida poma *vepres*.

Tu potis es lapsis hominum succurrere *rebus*
  Pectora tu subitis solvere moesta *minis*,

Vel si per nimbos tempestatesque *sonantes*
  Spumosis naret naufragus orbis *aquis*.

Tu longas Hevae lacrimas in gaudia *vertis*;
Adloqueris: coeli vindicis ira *silet*.

Ceu cum nimbiferas micat aurea stella per *umbras*
Diffugit et tumidi saeva procella *maris*,

Tu noctem errorum rumpis coecasque *tenebras*,
Affundis puro lumine tu *populos*;

Pastoremque tegis bona, cui concessa *potestas*
Pandere sive velit, claudere sive *polum*.

Qua tua se, Virgo, dulcissima lumina *vertant*,
Lumina solari splendidiora *face*,

Nubila vanescunt, subsidit fluctibus *aequor*,
Atque pati discit frena timenda *salum*,

Tristes et nutu ventos componis et *undas*
  Laetaque tranquillum per freta sternis *iter*.

Exustas recreas violas recreasque *amaranthos*
  Qui viride attollunt fronde nitente *caput*,

Prataque purpureis pingis rediviva *rosetis*
  Et spargis dulci mollia rura *thymo*;

Induit et rubeos se in fructus undique *campus*,
  Fragrantesque hortos aura benigna *fovet*,

Ac zephyri tepidos celerant arcessere *flatus*
  Atque hiemem in placidum vertere ver *rigidam*.

Flores tu patulo, patulo das gramina *clivo*
  Sufficis atque agnis pabula *lanigeris*;

Tu dulces coelo pluvias demittis ab *alto*
  Optatas praebes tu facilis *segetes*.

Hinc te, quae sceptro coeli stellisque *potiris*
  Et calcas stygiae turpia terga *ferae*,

Quam Deus omnipotens immani turbine *adegit*
  Infernis spumans finibus ut *gemeret*,

Te terrestre genus matrem, dominamque *celebrat*
  Passim adsultantum te chorus *Aligerum*.

Perque vireta poli rutilis distincta *pyropis*
  Divam quisque lyrâ, carmine quisque *colit*;

Virgineoque adstant circum pendentia *nutu*
  Pennas et plaudunt agmina *stelligeras*

Certatimque tuas, resono discrimine, *laudes*
Immensumque decus claraque facta *ferunt.*

Teque hominum columen, terrae columenque *labantis*
In pia Christicolae vota precesque *vocant;*

Templa tibi ponunt pariis innixa *columnis*
Urunt et sacris thurea dona *focis.*

Ardentesque tibi mittit Panchaia *gemmas,*
Et quas memnoniis occulit unda *vadis;*

Flava tibi texunt eoi vellera *Seres,*
Picta tibi aurato murice fila *Tyrus;*

Assyriosque tibi summittit campus *odores*
Et blando floret Trinacris Hybla *thymo;*

Vestraque thurilegi splendescunt dona, *Sabaei*,
Ac tua sapphiris pepla, Cariste, *nitent*.

Et matutinis quum lux procedit ab *undis*
Cumque cadens ripas purpurat *occiduas*,

Serta tibi nectunt pueri, dant serta *puellae*,
Quae stent ante tuos, candida Virgo, *pedes*,

Narcissumque tibi iungunt, mollemque *hyacinthum*
Quaeque horti regnum lilia sola *tenent*.

Teque canunt tremulo niveae sub lumine *lunae*
Et te sol claro quum vehit axe *diem*.

Terrarum caros quot vernant inter *ephebos*
Ingenio culto, moribus *egregiis*,

Aras dilecto puras de flore *coronant,*
Quem castus tenero pectore gignit *amor*;

Templaque congestis cumulant sublimia *donis*
Intactaeque vovent signa *pudicitiae*;

At divas inter choreas cantusque *beatos*
Desinis haud natis dextera adesse *tuis*;

Illis de superis flores sed sufficis *hortis*,
Quos ver perpetuum sancta per astra *parit*.

At quid ego? fido, socii, date serta *poetae*,
Sacras ferte rosas partheniamque *chelyn*.

Te veniente die, te decedente *vocabo*;
Curis hoc, Virgo, dulce levamen *erit*;

At tu sufficias cupidis modulamina *labris*
  Illabensque orsis mitior *advenias*.

Squalet humus late deses quum arentibus *herbis*,
  Ingenti tumidus quum ruit imbre *notus*,

Tecti quum incano rident velamine *colles*
  Aut tristi minitans cardine saevit *hiems*,

Quum zephyrus dulces rediens praenunciat *horas*
  Et gutta decorat germina ros *tenui*

Vivax quum blandi spirat clementia *veris*,
  Multa quumque rigent pallida rura *nive*,

Thura feram, aoniis niveas et floribus *aras*
  Cingens, te votis; Immaculata, *colam*,

Seu sol irradians eois surgat ab *oris*
  Seu tacito lassos aequore mergat *equos;*

Vesper cum vastum consurgens pulsat *Olympum*
  Grataque concentus evocat umbra *pios*,

Lunaque candenti graditur per nubila *vultu*
  Pingit et uvidulo lampadis orbe *fretum*,

Iamque repercusso pellucent aequore *stellae*
  Et ludens actam gurgitis unda *ferit*.

Ac tibi, sancta Parens, nitidi lux prima *pudoris*,
  Infert quâ turres urbs populosa *viris*,

Citriferos hortos inter, prope littoris *undam*,
  Quae celsas strepitu lambit amica *domos*,

Aut ubi secretae texunt umbracula *pinus*,
Vallis per tacitas, herbida texta, *vias*,

Et pictae rutilant orae, rutilantque *vireta*
Implexasque comas tendit ubique *nemus*,

Ad collem stratus renovata fronde *nitentem*
Murmura et excipiens praetereuntis *aquae*,

Seu captem laetis tremulas in montibus *umbras*
Atque obeam lento florida saxa *gradu*,

Dum mea furtivis turgescunt lumina *guttis*
Et solus rupes adloquor *aerias*,

Gratos accenso promam de pectore *sensus*,
Dumque dabit vitae tempora cara *Deus*,

Inclita coelesti fronti dans serta *rosarum*
  Alba tibi plenis lilia dans *manibus*,

Mites nunc tenui meditabor arundine *versus*,
  Nunc doctas digitis sollicitabo *fides*,

Nunc meliora gravi lituo modulabor *adorsus*,
  Accinat Alituum quae super astra *chorus*,

Talibus et captum modulis modulisque *supernis*
  Unica Nazaridis me rapiet *species*.

Primus et in patrias ripas, modo vita *supersit*,
  Musas romuleo vertice *parthenias*

Deducam; primus Cardeti rura *docebo*
  Primus et abruptos te resonare *specus*,

Ac te luce nova, te succedentibus *umbris*
 Jucundo vocum dicere *dissidio*.

Ast te si, fido duplicans suspiria *labro*,
 Usque lyra resono, cantibus usque *voco*,

Et capiti celerans sanctas praetendere *lauros*,
 Dulcisonis addo carmina *carminibus*,

Carmina quae latios valeant mulcere *poetas*
 Agmina et aeternos docta referre *modos*,

Vastas perque urbes passim silvasque *latentes*
 Iessaeos fundunt garrula plectra *sonos*,

Fulgenti adspicias calabrum tu lumine *vatem*
 Qui tua romuleo pectine gesta *refert*,

Sive dies rutilet, seu lux festinet ad *undas,*
Axem contingat fulgida seu *medium,*

Arida raucisonisque strepant arbusta *cicadis*
Ductoresque ovium gratior umbra *tegat;*

Seu nox obducat sublustri caerula *velo*
Lataque stellarum lumine stagna *micent,*

Moerentem surgens nox sive obnubilet *orbem,*
Ullas nec tollant astra decora *faces.*

Agmina si nostri tangunt coelestia *luctus,*
Coelica si noster fertur ad arva *dolor,*

Tu mihi solatrix celsis e nubibus *adsis*
Pandas et castae tu pietatis *iter.*

Cui tua, diva Parens, meditari lumina *semper*
  Unica et est oculis cura placere *tuis*,

Tu vati faveas solemnia sacra *novanti*,
  Tu fracta ingenti pectora solve *metu*.

Ipse tibi dicet morienti carmina *labro*,
  Pallida supremum quum feret hora *diem*;

Cum tristes mundi iam dedignata *figuras*
  Ferreus urgebit lumina fessa *sopor*,

Arduus et vatis tumulo paliurus *acutis*
  Increscet passim luxuriansque *rubis*;

Cogenturque atros socii pallere *colores*,
  Atque oculis multas ducere *lacrimulas*,

Ut gelidum mater nati complexa *sepulcrum*
Haeret, foedatis exululatque *comis*.

At superis vates tandem felicior *oris*
Coelicolûm insertus splendeat *agminibus;*

Illi stellantes tribuas tunc, Virgo, *recessus*
Tempus ubi laetos plaudat in omne *choros;*

Imponas lauros victricis munera *frontis*,
Cingas et puris tempora *sideribus*,

Convexum tranet nutantibus aera *pennis*
Serta piâ incedat candida fronte *gerens*,

Et placidis sese tollens afflantibus *auris*,
Auspice te, tractus naviget *aethereos*

Nube super rosea, solis quam spicula *complent*,
  Ignifer et varia circinat arcus *ope*,

Ac laetos hilarat pax quos pulcherrima *campos*
  Stellatique ineat limina sancta *poli*.

Elapsos relegens mortalis temporis *annos*
  Aeterna discat dicere te *cithara*,

Aeternasque tibi violas cathasque *perennes*
  Narcissosque tuis accumulet *pedibus*;

Plausibus et repleat flammantia tecta *smaragdis*
  Alituumque fores astriferasque *domos*

Dulcis ubi turmae felicis ducitur *aetas*
  Et sine fine almum gaudia tempus *agit*.

(*) *Nazaridos* auctor, quo tempore hoc carmen ex improviso fudit, XVIII suae aetatis annos vix expleverat atque de cuiusque versus ultimis vocibus servandis tenebatur.

MONITUM ALTERUM

In dictionibus hebraicolatinis, Guibertum Fillolium, innumerosque alios poetas sequutus, latinis casibus ac propterea latina quantitate, prae graeca, haud semel usus sum. Quo factum est, ut iure meritoque, in pag. 10, v. 13, produxerim primam syllabam et ultimam, corripuerim secundam et penultimam vocis *Isacides*. Si quis hanc scribendi rationem non adprobet, libentius legat:

Isacides numquam, priscum decus, heroinae
Ausint; Regnator nam...

Quantitatem vocum *Sara, Sioniae, Debora, Rachele, Rebecca*, me docuerunt egregii scriptores, qui saeculo XVI praeclaros illos aureae aetatis poetas sollerti artificio retulerunt.

Non dubitavi *Coelituum* quandoque scribere, quod Jacobus Bidermanus hanc vocem adhibuit, aliique quamplures imitatores Virgilii, apud quem 8. Aen. 27. legitur *Alituum* pro *Alitum*. Qui contraria ducitur sententia pro *Coelituum* legat *Coelicolûm*.

				Lege sis
Pag.	11	Lin.	9	Vastos qui
»	15	»	6	parvo ad celsas
»	22	»	1	aethereae
»	33	»	16	Ascendunt sed enim
»	34	»	15	coelum findens
»	35	»	2	nebulâ septus
»	42	»	14	moestis
»	46	»	13	coelestis
»	47	»	3	fulserunt donis
»	»	»	12	Commissosque
»	48	»	10	latebras,
»	55	»	1	adspectat ocellis
»	64	»	6	ignarus iniquae
»	69	»	6	Fais-la
»	83	»	8	scelesta fremit,
»	92	»	10	aura benigna
»	95	»	10	tartareumque
»	97	»	9	qualis croceis
»	98	»	6	inter ovans
»	106	»	6	indignum supplicium
»	110	»	6	gaudia vera
»	128	»	6	heic iaceo
»	136	»	11	souris charmant
»	137	»	11	castisque parentes
»	168	»	4	sollicitosque
»	175	»	1	bello altum
»	176	»	3	terga catenis
»	182	»	10	oceanique

Alia quaedam, sed leviora, menda officinatori librario in litteris componendis exciderunt atque in nonnullis tantummodo exemplaribus intelligentem aequumque virum laedere possunt. Hujusmodi errata, quae heic adnotare supervacaneum duxi, tute ipse, lector benevole, corrige et vale.

INDEX

Pag.

Inscriptio, qua opellam hanc auctor nuncupat Dominico Taccone-Galluccio 7

Monitum ad Lectorem 8

Davidis in coetu veterum Patrum de natae Virginis gloria vaticinium 9

In Pium IX. Pont. Max. qui Dei numine afflatus Mariam Sanctam labis ab origine nesciam sanxit haberi 16

Deipara Maria prope sepulcrum Jesu Christi . 18

Deipara Virgo Maria primigeniae labis exsors Pio IX. Pont: Max. in fidei vel morum doctrina inerranti munus rependit. 26

In obitu Angelae Gazzino, foeminae lectissimae incomparabilis, quae Virginis Matris cultui vacavit ut cummaxime 29

Karolus Aloisius Morichinius, Pater Cardinalis, magna Dei Matre opitulante, Ecclesiae Bononiensi Pontifex datur 32

Virgo Nazarena 53

Pag.
De Maria Sancta Domina Nostrà sideribus recepta, in cuius tutela Cardetum est . . . 54
Deiparae Nomen 56
In Virginem almam Dei Parentem, mundi Dominam 58
In funere Petri Taggiasco e Scholis Piis, viri latinae et vernaculae poeseos peritissimi, eximii Marianae pietatis cultoris 60
Mariae Virgini flores Maio ineunte 65
Virgini Sanctae Filium Cruci affixum inspicienti 66
In Mariae Sanctae Dominae Nostrae imaginem lilia et spinas gerentem 67
Amildus Pelleneus Coelesti Reginae lilia vere novo orta 69
Poetae casto Deiparae Virginis amore flagrantis votum 71
Augustissimae Virgini carmina vere redeunte . 73
Mariae Sanctae migratio 74
Quibus floribus immaculatae Dei Parentis effigies a poeta ornetur 75
Deiparae imago lilia et spinas dextrà ferens . 77
Deipara Sancta, fulgens maris sidus, Petri navem conflictari solitam, mergi nesciam fidissimum agit in portum 78

Pag.
Flos Nazarenus ad vatis tumulum 81
Concilium Magnum Vaticanum die festo Conceptus Immaculati Deiparae Mariae cogitur An. MDCCCLXIX 83
Intemerata Dei Parens Cl. V. Eugenium Cano, Episcopum Bosensinm renunciatum, volens propitia sospitat, fovet 85
Ad Sanctam Dei Genitricem Mariam, Reginam Angelorum Coelitum, Patronam hominum praesentissimam 87
In nuptiis Nicolai Taccone-Gallucci Dynastae, cuius in colenda Virgine Maria constantiam operosum probat volumen: La Vergine Madre e l'Arte Cristiana 113
Poetae in colenda Deipara studium 126
Poetae Mariani tumulus 128
Virginem Matrem a Conceptu Immaculatam Pius IX rite declarat. 129
Alma Dei Parens Immaculata Maria, Pio IX, XXV Pontificatus annum implere tribuit . 131
Praesentissimum Deiparae auxilium nunquam defuit Caietano Moronio Equiti quamplura volumina conficienti 132
Ad Prosperum Liberati-Tagliaferri Comitem in

Pag.

obitu Germani Patris, cultoris Virginis Mariae satis spectati 134
Gulielmo Roope Britanno, iuveni cum praestantissimis Matris nostrae Mariae cultoribus comparando, sacris primitus operanti, poeta magnum honorem gratulatur 136
Deiparae effigies aere expressa in horto amoenissimo 139
Deipara victrix 140
De Maria Sancta Domina Nostra et Pio IX Pont. Max. XII Cal. Iul. An. MDCCCLXX 147
Deipara Maria vatis tutamen et praesidium . 149
Tumulus puellulae ob summam in Virginem pietatem omnibus carissimae 152
Maria Dei Mater pia opifera iudicio in extremo 153
Virgo Dei Parens formosissima 157
Virgo Mater ab omni originali macula immunis 158
Alma Dei Genitrix Maria sole amicta . . . 159
Dulcissimae Virginis Mariae species 160
Oculi Deiparae salutares 162
Titulus inscribendus monumento poetae, qui amorem erga Virginem Matrem fovit studiosissime 164
Cultor agelli Mariae Virgini poma et rosas . . 165

Pag.

Ad Beatissimam Virginem, dulcem poetarum Matrem 166

Monitum alterum 206

Corrigenda in nonnullis exemplaribus 207

Ecclesiastica approbante Auctoritate